Digitized by Google

1511

4° A gr. a. 736

(Orpheus)
Eschenbach

[redacted]ed by Google

<36634520960015
<36634520960015
Bayer. Staatsbibliothek
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Auct. Gr. vet. 6.
p. 78.

Digitized by Google

ANDR. CHRISTIANI ESCHENBACH,

EPIGENES

DE

POESI ORPHICA,

in Priſcas

Orphicorum Carminum

Memorias

Liber Commentarius.

NORIBERGAE,

Sûmtibus WOLFGANGI MAVRITII ENDTERI.

Typis Johannis Erneſti Adelbulneri.

An. clɔ Iɔ ccII.

9

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Digitized by Google

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO

REGI BORVSSIAE

MARCHIONI BRANDENBVRGICO AC S. R. I. ARCHICAMERARIO ET ELECTORI. DVCI MAGDEBVRGI, CLIVIAE, IVLIACI, MONTIVM, STETINI, POMERANIAE, CASSVBIORVM, VINEDORVM, AC IN SILESIA CROSNAE; BVRGRAVIO NORIBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII, MINDAE ET CAMINI. COMITI HOHENZOLLERAE, MARCAE ET RAVENSBERGAE. DYNASTAE RAVENSTEINI, ET TERRARVM LAVENBVRGI AC BVTOVIAE.

ETC. ETC.

REGI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google

SERENISSIME REX,

DOMINE CLEMENTISSIME!

INter publicos Orbis Plauſus, & prementem ad VIRTVTIS ET HONORIS Auguſtiſſima Templa properantium turbam: Qvæ Inibi, pro Salute & Incremento TVO, REX AV-

Digitized by Google

AVGVSTISSIME, Vota concipere partim; partim Votiva jam Donaria ſuſpendere certat: me qvoqve ad REGIAE TVAE MAIESTATIS Pulvinar proſtratum, GENIVM TVVM venerari, SAECVLI, PER TE, FELICITAS, & inde in omnium bonorum pectoribus commota PIETAS, jubet.

Et alii qvidem, VIRTVTEM TVAM, alii FORTVNAM, alii POTENTIAM, pro ſuo qvisqve Captu aut Ingenio venerentur: Ego ſane SAPIENTIAM, qva hæc omnia concludis & contines; qvamqve in TVO SACRATISSIMO CAPITE, Regali Diademate redimitam, Noſtro Orbi, & Futuris Sæculis omnibus, Auguſtiorem & Sanctiorem exhibuiſti; unice admiror, unice veneror. Qvæ, cum DIVINAE MAIESTATIS Clementiſſimo Munere, GENTI BRANDENBVRGICAE in ſolidum commiſſa & hæreditaria facta jamdudum ſit: Per Tot, Summorum & Potentiſſimorum

Heroum Animas, MAIORES TVOS, perducta; in TE tandem, REX SAPIENTISSIME, se totam, qvanta qvanta est, explicare, &, qvam prope suam Prolem ad DEI IMMORTALIS Similitudinem evehere possit; Mortalibus demonstrare voluit. Tanto Sapientiæ Cultorum Solatio; ut nunc demum sibi de Sorte sua vere ac solide gratulari incipiant; postqvam Divam Suam, Regali TECVM Solio impositam, TVOQVE Sanctissimo Lateri junctam, REGIAE TVAE MAIESTATIS Auctoritate suffultam, Omniumqve Regalium Virtutum Satellitio stipatam, contemplari & adorare possunt.

Hac Divina TVA VIRTVTE confisus ego; cum Accessum ad REGALIS TVAE CLEMENTIAE SACRARIVM jam dudum meditatus essem, ex qvo Orbi innotuit, datum esse a DIVINA CLEMENTIA BORVSSS REGEM, Qvi Priscos illos qvondam Terrarum Dominos, VIRTVTE, POTENTIA

TIA, GLORIA, omniumqve omnino Heroicorum Characterum Splendore æquaret; SAPIENTIA, PIETATE, IVSTITIA, ſuperaret: Non alio magis Parario impetrare eum, mihiqve conciliare poſſe credebam; qvam Illo Heroë, qvi & Ipſe, Regia, inter Mortales, Proſapia oriundus; Matre vero etiam immortali Dea celebratus; Eam Virtutem, Primus, Europæ Inqvilinis commonſtravit, qvæ & Regum propria eſt; & Sola Mortales ad Divinitatis Similitudinem qvam proxime elevare poteſt, SAPIENTIAM.

Eſt Is, ORPHEVS ille THRACIVS. Tam Sanctum & Venerandum Antiqvis Sæculis Nomen; ut non Poëtæ, Sapientiæ Primi & Sinceriſſimi Doctores, magis de Lyra ejus, qvam ſubſeqvuti hos, Sapientiæ Humanæ graviſſimi Aſſertores, Philoſophi, de ſeverioris & intimioris Sapientiæ ejus Dogmatibus, certatim gloriati, ſibiqve inde gratulati fuerint. Qvorum Sanctiſſimus & Gra-

Gravissimus qvisqve, non aliunde, certius, Fidem & Rectitudinem suarum Doctrinarum hominibus commonstrare & probare posse, persvasus erat; qvam si eas cum Orphicis Veritatibus concordare, indeqve deductas & derivatas fuisse, testari posset. Id, qvod Pythagoram, qvi primus Philosophiæ Nomen Orbi intulisse perhibetur; &, post hunc, Præstantissimos qvosqve, Socratem, Platonem, & Alios fecisse; partim ea, qvæ hodienum in Doctorum manibus versantur, ab Ipsis Posteritati relicta, Sapientiæqve erecta immortalia Monumenta; partim, Illorum Scripta testantur; qvi Horum Decreta & Vitas litteris consignarunt, Orbiq; suspicienda & imitanda exhibuerunt.

Hujus ORPHEI, Prisca Dogmata, & Nascentis, veluti, Sapientiæ Humanæ, ab ipso Partu, Robusta jam tum & Admiranda τεκμήρια: Hodie autem, fere cum Nomine Auctoris extincta; & in Vmbris tantum

Ejus

Ejus culta; cum hoc Opere, ſi non inſtaurare, ſaltem Orbi, ex Inferis qvaſi, reproducere laboraverim; non alio Exoratore REGALIS TVAE CLEMENTIAE uti volui; qvam ipſo ORPHEO. Certa ſpe fretus, REGEM SAPIENTISSIMVM, Sapientiæ Primum Doctorem, Regem; non aſpernaturum. Neqve ei occluſum fore ad REGALIS GRATIAE ET CLEMENTIAE TVAE SANCTISSIMVM SACRARIVM Acceſſum, qvi tantum, & tam Sanctum Nomen, Cauſſæ ſuæ eſſet prætenſurus.

Votum, quod Inibi nuncupo, eſt. VT REGVM REX, AETERNA SAPIENTIA, REGIAM TVAM MAIESTATEM INTRA GRATIAE SVAE CENTRVM, AETERNVM COMPLECTATVR. ET INDE, PER BORVSSIAE REGVM PERENNEM TRADVCEM, INFINITA

TA IN CHRISTIANVM ORBEM BONA DERIVARE NVNQVAM DESISTAT.

SACRAE REGIAE
MAIESTATI TVAE

devotiſſimus, ſubjectiſſimus

ANDREAS CHRISTIANVS ESHENBACH.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

II, qui nobis Sapientiæ Græcanicæ Historiam tradere laborarunt; Duplicem pleriqve Errorem mihi errasse videntur. Primum, qvod certum & definitum ejus Initiis Tempus assignantes, ultra Thaletem tamen aut Pythagoram, fere nemo illorum audet adscendere: Aut, si jam ulterius Originem ejus qværere tentant; in Homero tamen & Hesiodo, maximam partem, tanqvam ad ultimum & extremum Terminum, hærent & consistunt. Cum etiam ex iis, sint, qvi vix, & tantum non precario, Hos etiam, demum, in numerum τῶν Γνησίων admittant: Credo, qvod Scholas publice non habuisse legantur; Sapientiæ Præcepta, nullis Classibus, nullis Cancellis, nullis Carceribus aut Compedibus, distinxerint, concluserint, coarctaverint: Sed liberrimam & efficacissimam Rem, Libere qvoqve vagantem, & Omnia, Maxima, Minima, nullo Ordine, nullis Terminis, Radiis suis pervagantem & illustrantem, nobis exhibuerint. Qvasi Solis Radii, Vitro excepti, & in Focum collecti, propius Centrum attingant, aut efficacius inde effluant; ac ij, qvi

liberrimo Actu, nulla re impediti aut coarctati, omnia permeant, omnia vegetant, fovent & collustrant. Alterum; qvod, dum Sapientiæ apud Græcos, Incunabula & Originem investigant; omnia Trans Mare peteant: Et, ut Piper ex India, ita Sapientiæ qvoqve Semina, & Grana omnia, ex Aegypto, Phœnicia aut India petita, & in Græciam demum, tanqvuam novam & inauditam antea Mercem, transfretata & apportata fuisse, credant. Vterqve Error, non mihi aliunde profluxisse videtur, qvam qvod Humanæ Rationis, omnibus Gentibus & Populis æqvaliter distributæ, Vim, & in perpetuo Actu constitutam Vitam, non satis hi perpenderint, aut, tum saltem, attenderint. Quæ, cum Primis quibuscunqve Hominibus, non minori δόσει aut qvantitate, ut ita dicam; nec langvidior aut infirmior communicata a Creatore fuerit; ac deinceps Homero, Hesiodo, & aliis: Nec Græcis aut Thracibus minus; qvam Aegyptiis, Phœnicibus, aut Indis: Qvis dubitabit, ante Homerum, in Græcia repertos fuisse, qvi Rationis Vsui attenderint; Ejus, in se, Præstantiam & Principatum agnoverint; Inde, ad Alia, Extra Se, conversi, Naturæ quædam, si non Intima & Arcana, saltem Exstantiora rimati; denique ad τῦ θείυ cujusdam Centrum & Fontem agnoscendum delati ita fuerint? Nisi forte Græcis non æqve hæc ante oculos posita & in proclivi fuisse dixeris; ac Barbaris? Qvos tamen idem Cœlum texerat; qvibus idem Sol oriebatur; qvos eadem Terra aluerat; idem Mare cir-

cum-

cumdederat. Vt adeo nec Natura & Ingenium deesse Græcis potuerit, nec occasio, eadem inveniendi, aut saltem de iis cogitandi; ad qvæ deinceps, Posteri eorum vel sponte ascendere, vel aliæ Gentes, qvæcunqve etiam, sese elevare, propria & insita Omnibus Mentibus Vi, & evehere potuerint. Neqve vero Origines Artium & Initia negaverim: Aut eas passim, una nocte, ut fungos, gigni & maturescere dixerim: Qvod posterius, credant Ii, Qvi ante Homerum, nullos Sapientes, nullos Poëtas extitisse sibi persvadent; Et inde mirantur, Eundem, & inchoare, & ad summum perducere potuisse Rem, hominibus omnium difficillimam, Sapientiam & Poësin. Sed nec Illud negaverim, qvasdam Gentes, sibi Optimo Jure, Peculiaris cujusdam Artis Cultum, & ad perfectionis qvendam Gradum, Incrementi provecti Gloriam, præ aliis vindicare. Cum enim infinita sint, qvæ sese qvotidie Humano Intellectui objiciunt consideranda & dijudicanda; Qvid miri, si in hac vel illa Gente, Vnus aut Alter, Vnum ex Illis arripuerit Primus, & intimius considerandum sibi proposuerit: Mox, deprehenso in ejusmodi considerationibus Vsu; Alios qvoqve ad eandem Operam capessendam invitaverit & adduxerit: Qvo juncto studio, Isthæc, vagæ prius & leviores Considerationes; deniqve in Totius alicujus Scientiæ Complexum excreverunt? Interim, qvid impedire possit; qvo minus ex Alia Gente Qvispiam, in eodem Objecto hærere, & in eandem Rem, Ingenii sui Solertia inqvirere potue-

 tue-

tuerit; nou video. Jam vero, Magnæ illæ Artes & Scientiæ, qvarum complexus Sapientiam Humanam absolvit; ita comparatæ sunt; Vt Ratio Humana, qvam primum sese elevare, & supra proprii Corporis Carcerem emicare tentat; in Aliqvam Illarum, aut saltem Particulam Alicujus, necessario feratur. Ex qvibus forte, Naturales Contemplationes, maxime obviæ, & undiqve sese oggerentes; Primæ omnium, Animos ad se trahunt & convertunt. Qvid igitur obstare potuit; qvo minus Græcus aliqvis, Solem, verbi gratia, intuens; ejusque Ortui, Occasui, Decursui, Speciei, animum admovens; circa Eum Scientiam qvandam; aut potius Scientiæ Particulam; qvæ deinde, paulatim accedente Aliorum qvoqve Opera, in Astronomiæ Scientiam excrevit; proprio Naturæ ductu, & Ingenii ac Attentionis solertia, comparare & effingere potuerit: ac Chaldæus qvispiam, olim & diu ante, qvam Græcus iste ortus aut natus etiam fuerit? Itaqve, cum experientia hodienum doceat: Nullam Gentem tam immanem, tam barbaram esse; in qva non subinde reperiantur nonnulli, ultra communem Gentis Suæ morem Rationi attendentes; Et inde, tam Moribus Cultiores cæteris, qvam Mentis Cogitationibus Elevatiores: Crediderim, Scientias plerasqve, non unam Patriam, aut ex una Gente, suos Parentes habuisse: Sed, Singulas cultiores Gentes, suas sibi Scientias formasse & peperisse; a reliqvarum Gentium Scientiis non adeo diuersas: Qvandoqvidem Objecta illarum, omnibus

Gen-

Gentibus communia ſint, & æqve ſingulis pateant & obverſentur. Vt adeo, in ſolo Modo conſiderandi, aut circa Scientias verſandi, omnis differentia appareat. Qvi ſane Modus, pro diverſo, diverſarum Gentium Genio & Ingenio, conſpirare ac convenire, in omnibus, ſemper, neqvaqvam potuit. Qvæ, cum ita ſint; Non vana utiqve Conjectura ducti, credere poſſumus; Diu ante, Pleraſqve Scientias in Græcia viguiſſe, qvam Homerus ex Aegypto, aut Pythagoras ex India, qvædam Sapientiæ Augmenta in Græciam detulere. Qvæ, ſane Augmenta, & Hi, & Alii, petere aut deſiderare etiam, aliunde, non potuiſſent; niſi Domi antea, minimum Qvædam, de Iis didiciſſent: aut ſaltem delibaſſent. Cum Rerum, penitus ignotarum, ſecundum vulgare dicterium, nulla ſit Cupido. Jam vero ij, qvi nobis Sapientum Vitas deſcriptas reliqverunt; adeo rudes, adeo omnium rerum ignaros eos pleroſqve, in Aegyptum, aut aliorſum, mittunt; qvaſi Ipſam, tantum non, Rationem, demum ex illis Locis petendam, & ſecum in Græciam deportandam habuerint. Adeo, ut Pythagoram, ne Numerare qvidem, ſciviſſe, fingant & perhibeant; anteqvam ad Phoenices delatus eſſet. Cum autem conſtet, & negari non poſſit; multos, qvin pleroſqve Veterum Sapientum, in alias Regiones, Itinera, Sapientiæ cauſſa, ſuſcepiſſe: & multa ex Aegypto, multa ex Phoenicia, aliqva etiam ex India, in Græciam reportaſſe: Non aliter ſane id intelligo, qvam qvod Scientiis Indigenis, ut ita dicam, & domi Na-

tis, antea probe instructi; Illarum Augmenta Qvædam, aliunde, & ab iis potissimum Gentibus, sibi petenda duxerint; qvas vel Antiqvitatis prærogativa, vel prioris & vetustioris Inventionis Opinio, vel etiam Profectus & Excellentiæ, in hac vel illa Scientia, Gloria, commendaverat. Cum itaque ex Homeri Carminibus, consummati cujusdam, omnium Scientiarum Complexûs, manifesta Vestigia, jam olim deprehensa, & a doctissimo qvoqve prædicata reperiantur: Neqvaqvam credendum est, Eum solum, Ex Se Ipso, & sine Magistro, tantum ac talem evasisse: Multo minus, hæc omnia peregre, & extra Græciam (si qvidem Græcus fuerit; in qvo tamen pleriqve omnes conspirant) addidicisse, & inde petiisse: sed in ipsa Græcia, Sapientiæ & Scientiarum Magistros & Doctores, jam ante, eum reperisse; qvam in Aegyptum delatus, Sacerdotum commercio & consvetudine usus, postea demum Divinam Iliadem meditatus fuerit. Maxime, cum tam splendidus, tam augustus, sed & reconditus & obtectus, Sapientiam, veluti obiter ita, docendi Modus; qvem ubivis tenet; non Reptantem adhuc, aut Pubescentem, sed, si non Viriliter Gradientem, saltem Juveniliter Luxuriantem, Sapientiæ Aetatem, manifestissime arguat. Mihi itaqve nullum est dubium, jam dudum ante Homerum, Scientias, Magnas Illas, & ad Istam constituendam proprie & proxime pertinentes; in Græcia cultas & æstimatas fuisse. Adeo, ut tempore Homeri, jam Luxuriare circa illas, coepe-

cœperint amœniora Ingenia: dum illa proferre paulatim, & ſcriptis committere; ſed tecte, ſed occulte, infinitis Fabularum, Hiſtoriarum, Actionum, Caſuum &c. Velamentis & Involucris obnupta & obvoluta, auſa ſunt; qvæ jam dudum antea, & tantum non a Primis, fundatæ & erectæ Græciæ, Temporibus, ſummo Studio, & non, niſi Sacrorum Τῶν Ἀποῤῥήτων & Arcaniſſimorum Majeſtate & Veneratione occultata & obtecta hactenus remanſerant. Tæſtes habeo, Maxima illa & Vetuſtiſſima, tantum non toti Orbi, a primis Inſtitutionis ſuæ Initiis, ad deletum, per Chriſtum, Dæmonum & Superſtitionis tandem regnum, celebrata & adorata Myſteria: Corybantum, Bacchi, Cereris. Quorum initia, cum communi omnium ſuffragio, tempora Trojana, nedum Homeri, aliqvot Centenis Annis antecesſerint; eaqve ipſa jam, ſumma & κυριώτατα, non ſolum omnium Scientiarum, ſed Ipſius, qvanta qvanta eſt, Sapientiæ Capita, (ut ſuo loco, manifeſto ſatis omnibus, niſi temere forte & petulanter reclamantibus, oſtendimus) continuerint & docuerint: Qvis non videt, Sapientiæ Græcorum Terminos, longe ultra Homeri ætatem, ne dicam Pythagoræ aut Thaletis, ampliandos & extendendos eſſe: Neqve etiam, qvæ Illi, aut alii ſubſecuti, docuere & tradidere; omnia ita Peregre petita, & demum poſt aliqvot Sæcula, in Græciam importata fuiſſe: ut vulgus Scriptorum aliis perſvadere conatur. Qvorum Myſteriorum, Arcanæ, qvas intendebant, Doctri-

næ, ſi rite attenderis; omne non ſolum Fundamentum, ſed Florem etiam & Fructum (ſi ſubtilitates, & plerumqve in Verbis qvæſitas, luxuriantis ingenii & rationis, tantum non qviſqvilias; qvibus Antiqvam & ſimplicem adhuc dum Sapientiam, Poſterorum Καινοδοξία obruerat ac deturpaverat, excipias) omnium ſubſecutarum, Philoſophorum, poſt Pythagoram ita vocatorum, Sectarum, jam tot ante Sæculis docuerunt & tradiderunt. Adeo, ut qvidqvid Pythagoras, qvicqvid Plato, qvicqvid deniqve omnis ſubſecuta Philoſophorum turba, ſolidi & altioris veritatis docuerunt; Horum Sacrorum Fundamentis ſuperſtructum, aut inde petitum, hodienum facile apparere cuivis poſſit. At enim vero, cum & horum Sacrorum, & omnis omnino Græcorum Theologiæ Origo & Inſtitutio ad illa tempora referatur; qvibus Erechtheus Athenis imperavit; omnesqve Orpheum, diſerte, Deos, eorumqve Cultum; & plurimi etiam ac fide digniſſimi Scriptores, Illa Ipſa Magna Sacra, Cereris, Bacchi & Corybantum in Græciam intuliſſe, ibidemqve hæc ordinaſſe & inſtituiſſe perhibeant: Sæpe miratus ſum, fuiſſe & olim, & hodienum eſſe, non ex plebe, Eruditos, ſed Summos & Doctiſſimos Viros, ὧνπερ κλέος οὐρανὸν ἵκει, qvi, Orpheum, ab omni Antiqvitate agnitum & celebratum; ab omnibus item, Graviſſimis & Sapientiſſimis Viris (excepto ſolo, fortaſſis, Ariſtotele: At in rebus, qvæ Majorum laudes & gloriam concernunt, minime idoneo teſte) pro Sapientiæ, & imprimis

Digitized by Google

mis ejus, qvæ circa τὰ θεῖα verſatur, in Græcia Parente & Auctore habitum; non dicam e Sapientum, ſed plane Hominum Numero tollere, eumqve nunqvam, neqve fuiſſe, neqve vixiſſe, auſi tamen fuerint Poſteris perſvadere. Qvi, ſi ullum nobis Opinionis ſuæ idoneum Argumentum afferre poſſent aliud; non ſane ex nugacibus & inficetis Alliterationibus (aut, ut ipſi vocant, Etymologiis) ex variis & diſſitiſſimis invicem Lingvis, neſcio qvibus, coactis & corrogatis, omnem Aſſerti ſui, ſane invidioſi, Vim & Probationem petere cogerentur. Qvoniam autem his Alliterationibus, & Ariſtotelis Commento (ſi tamen Cicero non falſus fuit; aut Lectio genuina eſt: hodie enim in Ariſtotele nihil hujus legitur) omne fundamentum & robur hujus Somnii innititur; eo ſubruendo aut evertendo, Operam ludere heic non volumus. Maxime, cum hac in parte omni nos opera & labore ſublevaverit, doctiſſimus & ingenioſiſſimus Thomas Burnetius, cum in exqviſitiſſima ſua Theoria Telluris; tum in Archæologiis doctiſſimis, Operi ſubjunctis. Qvod ſi igitur nemo unqvam nefas duxit, credere: fuiſſe olim qvendam, nomine Homerum, qvi omnis Sapientiæ Humanæ Theſauros, ita in Pectore ſuo incluſos & reconditos circumtulerit; ejusqve vivam & ſpirantem Imaginem, in divina ſua Iliade & Odyſſea tam vivide & ſapienter depictam poſteris reliqverit; ut jam ex illo tempore, usqve ad noſtrum ævum, nemo mortalium repertus fuerit, qvi Divini hujus Senis vir-

tutes, in dictis Operibus expreſſas, & omnimodam pleniſſimamqve Sapientiam, ſatis admirari, nedum imitari aut exæqvare potuerit: de Cujus tamen Origine, Aetate, Parentibus, Patria, Vitæ Conditione, Nemo unqvam certi aliqvid affirmare aut docere potuerit? Cur non Fas ducam, aſſerere cum Omnibus, excepto uno forte Ariſtotele: vixiſſe olim Orpheum qvendam, Patre Oeagro natum, Genere Thracem, Regis filium: qvi inſtitutis abs ſe, & ordinatis in Græcia Myſteriis, variisque Sacris, ea Sapientiæ & Scientiarum Arcana in iis docuerit; ex qvibus non ſolum Homeri Divina Muſa, ſed & ſubſeqventium Sapientum omnis Adorea, & qvicqvid ſolidi & divini protulere, tanqvam ex Fonte & Scaturigine, fluxerit ac derivatum fuerit. Qvem ipſe Homerus, non uno Loco exſcripſerit; nec Præſtantiſſimum Opus ſuum auſpicatius inchoare poſſe crediderit; qvam ab illo Orphei, paululum immutato verſu:

Μῆνιν ἄειδε θεὰ, Δημήτερος ἀγλαοκάρπου.

Qvem Pythagoras, qvi ipſi Philoſophiæ nomen dedit, adeo in omnibus ſeqvi & exprimere ſtuduerit; ut Apollonius ille Tyaneus, non magis Pythagoram referre in omnibus, ac Pythagoras Orpheum, laboraverit: Adeo, ut ſingularem etiam ſuam, ex qva ſola Nomen ſibi & Famam præcipuam qværebat, Docendi Methodum (nam cætera eadem qvæ Orpheus docebat) non ad aliam magis, qvam Orphicorum Sacrorum Normam,

unice

unice informaverit & composuerit. Qvem Plato, & omnes saniores Sapientiæ humanæ Proceres, (omitto sacrum & venerandum Primævæ Ecclesiæ Christianæ Patrum Ordinem) Primum & Antiqvissimum apud Græcos Theologum; Naturæ non tam Scrutatorem, qvam Repertorem felicissimum; Vitæ & Morum inter Græcos Formatorem & Ducem primarium & optimum; dispersis & concordantibus Elogiis prædicarunt. Qvem deniqve Vatum Primum, Poëtarum Principem, Musæ ipsissimam Prolem; Feras, Saxa, Sylvas traxisse, Flumina stitisse, immitem Tartarum, Plutoniaqve Regna, una cum Principe movisse; Omnis Veterum Pagina, omne Carmen, omnis Versus, clamant & inculcant. Hic itaqve Orpheus, cum plerorumqve omnium Consensu, circa ea Tempora in Græciam venisset; qvibus vix excoli, & in Societates ac Vrbes colligi cœpissent Incolæ: Operam Erechtheo, circa Athenas commodans; multa qvidem ad communem, Socialis Vitæ, Commodum facientia, passim ibidem docuit & disseminavit. At vero Capita & Fontes, ex qvibus ea omnia, cum universa Civili Εὐδαιμονίᾳ, perenni & constantissimo fluxu, provenire possunt & derivari: Cum partim illorum Temporum ingenia, ea non ita promiscue admitterent; partim, ut Regibus, Primisqve, in Vita Sociali, Viris, proprium suum Munus, & inde dependens ὄγκος reservaretur, & in tuto collocaretur; sapientissimo consilio, non nisi Paucis, & tum Sapien-

tiſſimis qvibusqve, commiſit & concredidit reſervanda, interqve ſimiles deinceps propaganda; Eumolpo, Muſæo & forte pluribus. Cumqve jam ante deprehendiſſet, nihil ad tenendos & gubernandos Hominum Animos, validius & potentius eſſe, qvam Metum & Reverentiam Præſtantioris Naturæ, qvæ omnia Humana & Mundana, Bonitate, Perfectione, Ratione &c. longe ſuperaret; & a Qva omnia, qvæcunqve ſunt, aut eſſe dicuntur, unice dependerent: Eamqve non aliter homini conciliari, & in qvoddam, qvaſi, cum homine Commercium invitari & attrahi poſſe; qvam debito qvodam, eiqve conveniente Cultu; qvem Vulgo, pro captu tum ſuo, rudiorem & ſimpliciorem præſcripſerat: Sub ſpecie Arcaniorum Sacrorum, ac proinde intimioris ac propioris cum Divinis Commercii, illa ſumma, Felicitatis & Sapientiæ humanæ, Capita, docenda & propaganda inſtituit. Vt inde & præſtantiſſimis Rebus ſua Dignitas & Veneratio conſtaret; & Vulgi intempeſtiva Curioſitas qvam longiſſime arceretur. Qvi Arcanus, Summa hæc & Maxima, Arcane ita docendi & tractandi Modus; a qvo ipſo, eadem, τῶν Μυϛηρίων nomen ſortita ſunt; diu admodum inter Diſcipulos hujus Orphei, eorumqve deinceps Sectatores viguit: qvi ſeſe in gratam Præceptoris, primiqve hujus Sapientiæ Auctoris Memoriam, Orphicos, aut Ορφεωτελεϛὰς appellabant. Ex qvibus nonnullos, Boni ominis Cauſſa, vel, qvod doctrinam Orphicam præ cæteris excoluerint & auxerint, ipſius

ipſius Auctoris primi, Orphei, Nomen, vel ſponte aſſumſiſſe, vel ultro oblatum, uſurpaſſe, credo. Plures enim Orphei, & diverſis ætatibus clari, inveniuntur: & Onomacritus, qvi circa Qvinqvageſimam demum Olympiadem vixit, ſub Orphei Crotoniatæ nomine, jam olim latuiſſe & innotuisſe, non ſemel deprehenditur. Donec tandem, Cultu inter Græcos augeſcente, Myſtarumqve Numero indies increſcente; paulatim ſuccrevere, qvi vel Famæ aucupandæ, vel, Vtilitatem Publicam promovendi ſtudio, nonnulla Arcanorum iſtorum Capita, non tam proferre in vulgus, qvam aliis Prudentioribus τῶν ἀμυήτων, indigitare ſaltem, & poſt ſindonem, qvaſi, adumbrare; Carminum, videlicet, Fabularum, infinitum in Modum auctarum, & Poëmatum variorum Argumentorum Velamine ita obducto, auſi ſunt. Qvos excepere ii, qvi commodum jam tempus adeſſe, ſatisqve jam excultam, Poëtarum imprimis illorum opera, Græciam, rati, ut admittere ſumma etiam & arcaniſſima antea Sapientiæ Κειμήλια poſſet: pleraqve omnia, & tantum non fanda atqve nefanda publice propalarunt, & in triviis ac porticibus, nude & aperte, abjectis & conculcatis plerisqve Velamentis, tam ſollicite ante cuſtodita & tam ſancte habita, protulerunt & oſtentarunt. Qvi a primo facinioris Auctore, (qvi tamen verecundius cæteris, ſuam Virginem adhuc dum habuit) Philoſophorum nomen accepere. Interea paulatim, ſi non Opinio, ſaltem Vſus, & intimior Senſus horum Sacrorum

rum decreſcere; Sacrorum ipſorum Aeſtimatio immi-nui; cumqve Antiſtites illorum, præter Ceremonias, nihil fere magni, nihil arcani amplius promittere poſ-ſent; accedente Philoſophorum etiam Invidia: deniqve a plerisqve doctioribus negligi, & ex hoc, fortaſſis in Vindictam, promiſcue cum Omnibus communicari cœpere. Cum autem Myſteria hæc nihilominus cele-brari pergerent; utut Arcanus illorum Senſus; qvem, Talem, ſervandi cauſſâ, Hæc inſtituta primitus fuerant; aliunde emanaverat: Adeo, ut eadem Doctrina, ſolis curioſorum excogitatis Subtilitatibus aucta, paſſim pu-blice & promiſcue doceretur; obqve id ipſum, & Or-phei ipſius Nomen & Merita obſcurari paulatim & eva-neſcere cœpiſſent: Indigne hoc ferentes aliqvot, cum è γνησίοις Orphei Diſcipulis, tum etiam ex Aliis, aliarum jam Sectarum, Philoſophis, Cordatiores & Antiqvita-tis peritiores Viri; Doctrinam Orphicam, & cum hac, Auctoris ipſius Nomen & Gloriam, non melius ſe vin-dicare, & in priſtinam Lucem reſtituere poſſe ſpera-runt: qvam ſi; cum jam omnia, promiſcue, maxima, minima, Litteris committi & evulgari cernerent: Ipſi qvoqve omnem Doctrinam Orphicam conſignarent, & ita in Vulgus exire paterentur. Ne autem, hoc ipſo, nimium ab Auctoris Voluntate recederent; qvi harum Doctrinarum Pretium & Exiſtimationem non melius conſervari poſſe arbitrabatur, qvam ſi pauciſſimi illas intelligerent; Illud Scribendi Genus ſib elegere, qvo

maxime Arcaniora obtegi & celari poterant: Carmen nempe, & Fabulas. Qvorum utrumqve, cum jam ab Auctore Orpheo Ipſo, accepiſſent; & ne ſibi qvicqvam inde arrogare, propriæve Famæ ſtuduiſſe viderentur: Omnia illa Carmina, ſub Orphei nomine, legi & exſtare voluerunt. Et Hi ſunt, qvibus acceptum referimus, qvicqvid fere hodie de Orpheo ejusqve Doctrina nobis ſupereſt; *Orphei* ſubſecuti varii, *Brontinus*, *Prodicus Chius*, *Zopyrus Heracleota*, *Cercops Pythagoræus*, quin ipſe forte *Pythagoras*, *Onomacritus*, *Theognetus Theſſalus*, *Timocles Syracuſanus*, *Perginus Mileſius*, *Nicias Eleates*, *Herodicus Perinthius*, & alii. Qvorum Carmina, cum paſſim ab Auctoribus antiqvis citentur, eorumqve haut contemnenda Fruſta hic illic reperiantur; Tituli autem & Capita Librorum ipſorum, a *Svida* imprimis, & *Clemente Alexandrino* conſignata legantur; Non aliunde certius qvid de Orpheo, ejusqve Doctrina ac Sapientia colligi & conſignari poſſe arbitror, qvam ex his ipſis Orphicorum Carminum Fragmentis & Librorum Inſcriptionibus. Et, cum ante Decennium, & qvod excurrit, nonnulla meditatus eſſem in Argonautica, qvæ Orphei Nomen præferunt; eaqve tum in Belgio publici juris feciſſem; nunc autem, eundem Libellum, una cum reliqvis, ei adjungi ſolitis, Manuſcriptorum Codicum Ope adjutus, Auctos, Novisqve Curis illuſtratos Editioni præparo: tantiſper, donec Illa perfecta & abſoluta erunt; Hoc, qvicqvid eſt, de Poëſi

Or-

Orphica, ex collectis undiqve Orphicorum Carminum Fragmentis, & qvantum fieri potuit, ſuis Titulis & Libris aſſertis & reſtitutis; tum etiam Iis, qvæ paſſim alibi hujus Doctrinæ λείψανα in Monumentis Antiqvorum obſervare licuit; ante conſignare, & *Lectori* permittere volui. Partim, ut Antiqviſſimæ Doctrinæ Rationem, cumqve ea Auctoris Ipſius, hodie fere penitus obliteratam & evaneſcentem Memoriam ac Gloriam, aliqvo modo in anteceſſum ita renovarem: Partim, ut hiſce Commentariis, futuro Operi Carminum ipſorum, conſulam; ne, qvæ hic dicuntur, ibi demum, ingrata forte prolixitate, ſparſim reducenda & inculcanda ſæpius eſſent. Qvo qvidem Labore ſuperſedere fortaſſis potuiſſemus; ſi *Nicomedis* περὶ Ὀρφέως liber; aut *Epigenis*, περὶ τῆς εἰς Ὀρφέα ποιήσεως Comentarii, aliquoties Clemente Alexandrino laudati; aut etiam *Syriani*, in Orphei Theologiam Commentarii; *Procli*, de eodem Argumento Lucubrationes: Vtriusque etiam, de Conſenſu Doctrinæ Orphicæ & Pythagoricæ Libri; quæ omnia citantur a *Svida*: Vel etiam *Syriani* Ὀρφικαὶ Συνουσίαι, a Proclo laudatæ. Lib. II. in Timæum Platonis: Vel ſaltem, *Herodori* Hiſtoria de Orpheo & Muſæo, quam Photius citat: Aut deniq; Orphei ipſius Scripta, a *Pherecyde*, olim, *Athenienſe*, collecta, quod de eo teſtatur Svidas; hodienum exſtarent. Sed, cum Horum omnium Labores fruſtra hodie deſideremus; non ingratum fortaſſis erit, deſiderium iſtud, Argumenti ſaltem ſimilitudine, aliquo modo ſolari, & Jacturam illorum, quacunq; tandem ratione, compenſare.

AN

Google

ANDREAE CHRISTIANI ESCHENBACH

Liber Commentarius

in

ORPHICAE SAPIENTIAE

Memorias Antiqvas

ſive

Reliqvias.

Digitized by Google

Conſpectus LIBRORVM ORPHICORVM.

Qvorum

Hoc Opere

Argumenta inveſtigantur, Doctrinæ proponuntur.

ΤΕΛΕΤΑΙ.	
ΘΡΟΝΙΣΜΟΙ ΜΗΤΡΩΟΙ ΚΑΙ ΒΑΚΧΙΚΑ.	pag. 1
ΔΙΟΝΥΣΟΥ ἈΦΑΝΙΣΜΟΣ.	10
ΚΑΤΑΖΩΣΤΙΚΟΝ.	32
ΚΟΡΥΒΑΝΤΙΚΟΝ.	38
ΠΕΠΛΟΣ ΚΑΙ ΔΙΚΤΥΟΝ.	45
ΠΕΡΙ ΔΙΟΣ ΚΑΙ ἩΡΑΣ.	48
ΚΡΑΤΗΡΕΣ.	57
Dialogus Noctis & Jovis.	62
ΘΕΟΓΟΝΙΑ.	79
Ω'ΟΘΥΤΙΚΑ Ἢ Ω'ΟΣΚΟΠΙΚΑ.	83
ΘΥΗΠΟΛΙΚΟΝ.	111
ΣΩΤΗΡΙΑ.	118
ΧΡΗΣΜΟΙ.	118
Ὀ'ΝΟΜΑΣΤΙΚΑ.	124
	130

ἹΕΡΟΙ ΛΟΓΟΙ.	136
ΘΕΟΛΟΓΙΑΙ.	138
ΔΙΑΘΗΚΑΙ.	138
ΦΥΣΙΚΑ.	150
ἈΣΤΡΟΝΟΜΙΑ.	154
ΔΩΔΕΚΑΕΤΗΡΙΔΕΣ.	161
ἜΡΓΑ ΚΑΙ ἩΜΕΡΑΙ.	168
ἈΜΝΟΚΟΝΙΑ.	175. 178
ΠΕΡΙ ΒΟΤΑΝΩΝ.	179. 182
ἸΔΙΟΦΥΗ.	182
ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΣΥΝΘΕΤΩΝ ΘΑΝΑΣΙΜΩΝ.	182
ΕἸΣ ἍΙΔΟΥ ΚΑΤΑΒΑΣΙΣ.	185
ὙΠΕΡ ΤΩΝ ἈΠΟΘΑΝΟΝΤΩΝ ΜΕΛΩΙΔΙΑΙ.	187
ΤΡΙΑΓΜΟΙ.	193

ΤΕΛΕ-

Digitized by Google

Digitized by Google

ΤΕΛΕΤΑΙ.

CUm omnibus omnino Mortalibus, Divina Benignitas, Summum & Præstantissimum Hominis Bonum, Mentem & Rationem, æqualiter distribuerit; mirari subit, in omni ævo, tam paucos, ex immenso semper hominum numero, extitisse, qvi id, qvod præstantissimum in Homine est, aut digne satis observaverint; aut illud studium, eumqve cultum, ei tribuerint; qvem sibi cœlestis hic Hospes, in Terreno hoc Hospitio, jure suo, poscit & desiderat: Cum ex pleno semper hominibus Orbe, singulis ævis, paucissimi reperti sint; qui, abjectis, aut amandatis potius, aliis curis; contemplationi Rerum Divinarum, & a divinis proxime dependentibus, Naturæ, & propriæ Essentiæ, considerationibus; omnes propriæ Mentis vires & operationes contulerint ita & sacraverint. Sed, cum alii hujus rei causam ad Animarum, adhuc dum in Cœlo & Astris versantium, primum illum Appetitum erga τὴν ὕλην referant; ut, qvo vehementius aliqva ex Animabus in Materiam, suo illo desiderio, feratur; eo etiam profundius illi immergatur: ejusqve vinculis impediatur, ut adeo vel nunqvam, vel difficulter admodum, se inde rursus extricare, & ad sublimes istos fontes, se ipsam elevare & pervehere possit: Alii, Fatalem hic qvandam, ex ipsis Astris, eorumqve, in puncto delapsus Animæ, inter se positu, dependentem Necessitatem agnoscere velint: Nos potius singularem in hoc negotio Providentiam Divinam agnoscimus & admiramur. Quæ, ut in immensis Coeli tractibus, ex innumero Stellarum Agmine, *Septem* tantum sufficere voluit; qvæ testarentur, Cœlum istud vivere & moveri: cæteras autem, vel in harum Usum, vel etiam, ad his ipsis majus

 decus

decus, auguſtioremqve dignitatem, ex tanto qvaſi ſatellitum numero, conciliandum; vel denique in merum Omnipotentiæ ſuæ & infinitæ Sapientiæ Teſtimonium ſimul, & hujus Orbis ineffabile Ornamentum, creavit & produxit: ita ex infinito ſemper hominum numero, paucis aliqvibus Majeſtatis ſuæ Præconibus contenta eſſe voluit. Primo, ne Veritates, promiſcue ita Vulgo & Omnibus commiſſæ, a ſingulis, illas vel non recte percipientibus; vel aliis, neceſſariis forte aliunde, curis occupatis; novo ſubinde fuco adſcito deturparentur, & paulatim ita penitus evaneſcerent. Deinde, ut, dum alii homines, propriæ Mentis ſolertiam, in cultum Terreni hujus Elementi, ac in vita ſociali & civili, ad Rem faciendam, impendunt; Hi, illorum miniſterio & minoribus curis, τῶ ἐπιτηδείων grata ſubminiſtratione, ſublevati, eo liberiore deinceps & ſolutiore animo, ſublimioribus iſtis Veritatibus; ex qvibus inferiores hæ, quæ vulgô a Sapientibus depromendæ & communicandæ ſunt, & ſine qvibus Homo nec vivere, nec Societas humana ſtare & ſervari poteſt, derivantur; unice vacare qveant. Indeqve velut præmium quoddam rectiſſimi ſui Studii, Sanctiſſimorumqve ſuorum Laborum, a DEO ipſo, capiant; qvod, utut etiam in mortali carcere adhuc dum detinentur; liberius tamen iſtud, & ſupra communem hominum ſortem, habeant & experiantur: neqve jam terrenis curis impediantur, qvo minus & in hac qvoqve vita cum Diis habitare valeant. Tum, ex propriæ Mentis præſtantia, reſpectu imperitorum, eam voluptatem, innocentem tamen & rectiſſimam, capiant; qvam omnes promiſcue homines, unusqvisqve ex propriis ſuis occupationibus, affectant: nempe ſenſum, *ſe cæteris præſtare.* Accedit, qvod, ut in Familia bene ordinata & inſtructa, Neceſſariorum & Ornamentorum, a cato ſemper Patre Familias, iſtud Temperamentum obſervari cernimus; ut horum qvidem, reſpectu illorum, exiguus qvidam numerus, neqve hic extra omnem, ad honeſtiora imprimis, Uſum, poſitus, ſufficere judicetur: qvin in Regum qvoqve ac Principum Aulis, ubi omnia ad

Pom-

Pompam & Splendorem instruenda sunt, singulæ qvidem partes & conclavia, habent qvod ostentent; neqve tamen, nisi ubi Luxus Morem vicerit, istis referta & distenta apparent: Ita qvoq; Sapientissimus ille δημιεργὸς, qvi, ut Vniversum hunc Mundum infinitis qvidem & ineffabilibus Ornamentis, ad Majestatem suam & Virtutem indicandam, distinxit & exornavit; interim immensa qvoqve spacia, veluti vacua, aut oculos saltem non tangentia reliqvit: Ita tenebrosæ qvoqve & obscuræ huic Terræ, præter cognatas & ingenitas sibi plures, non nisi paucas, & Sorti suæ convenientes, sublimes & cœlestes Pulchritudines & Ornamenta, Homines Sapientes, simul concessit. Qvi interim majori Vi & Auctoritate, ejus Majestatem ac Potentiam efferre & prædicare possunt; qvo minus obstrepentem, inconstantis Vulgi, turbam, pertimescendam aut suspiciendam habent. Vt adeo pauci isti Sapientes, inter reliqvas Plantas Cœlestes: ut *Plato* Homines vocat; pro vinculo qvasi qvodam censendi sint, qvibus Terrena hæc & Inferiora, cum Divinis illis & cœlestibus connectantur, & Divinitatis Orbi veluti copulentur & inserantur. Cui Sapientissimo Divinæ Providentiæ Consulto, simulqve Humanæ Sapientiæ Dignitati, ne culpa ipsorum Hominum qvicqvam derogaretur; jam a prima hominum memoria, selectæ divinitus istæ sanctiores Sapientum mentes, sedulo operam dedere; ut Arcana sublimiorum Scientiarum, qvam solertissime & sanctissime occultarentur: nec qvicqvam eorum, temere, in temerarium vulgus, emanaret aut emitteretur. Inde legimus *Noachum*, ex Arca egressum, plurimas Scientias scriptis commendasse: qvæ scripta tamen, non, nisi Sacerdotibus Chaldæis & Armeniis, aliqvando futuris, tractanda voluerit. Apud Aegyptios, Persas, Indos, qvin Germanos, Gallos, Hetruscos: Scientiarum Sacra, non, nisi Sacerdotibus, Magis, Brachmanibus, Druidis &c. committebantur: nec cuiqvam, nisi his, ea tangere, ne dum exercere, fas erat. Prima *Græcia*, huic rectissimo Instituto, vim intulisse, videri possit. Vtpote in qva, omnia, ita omnibus patuisse de-

prehendimus; ut tempus fuerit, in qvo plures Philoſophos, qvam Homines numerare potuiſſes. Sed, qvam pulchre illis ceſſerit hæc, ſive inconſulta ita alios juvandi, ſive potius propriæ Scientiæ oſtentandi libido; docuerunt tot deinceps enatæ Contentiones, tot Rixæ, tot deniqve *Amatorum* iſtorum & *Amicorum* Sectæ. Qvarum Defenſores, dum unusqvisqve ſuam Opinionem, pro Vnica & Sola Veritate venditaret; interim in reliqvos ſtrenue debaccharetur; atque ita, cum propria, tum aliorum, &, in univerſum, communia Sacra, Vulgo proſtitueret: hoc deniqve lucri fecerunt; ut non ſolum ipſi paſſim contemnerentur; qvin in Scenis etiam & Theatris publice traducerentur; ſed etiam ipſi Sapientiæ, Rei inter homines Sanctiſſimæ & Sacerrimæ, non ſemel, haud levis Infamia publicitus affricta & inuſta fuerit. Nihilominus tamen, ut vel inde pateat, qvam arcano & recondito Naturæ ductu, Scientiarum Arcana, Opertum & Secretum ſuum ſemper vindicaverint; Ipſæ illæ Sectæ ſingulæ, ſuam habebant Secretiorem & Arcanam Doctrinam: ad qvam neminem facile, niſi intimæ admiſſionis Auditores, velut Myſtas qvosdam, admittebant illarum Doctores. Ita *Pythagoras*, qvi primus pluribus, qvam par erat, Scientiarum Secreta, evulgaſſe perhibetur; ſuos tamen habebat Ἀκουσματικοὺς: qvi, qvod didicerant, Fide tantum tenebant: & illo ſuo, αὐτὸς ἔφα, contenti, nullas rationes accipiebant: Alios vero μαθηματικοὺς: qvi ab Eodem, ſecretiore Doctrina, Rationem etiam eorum, qvæ docebantur, percipiebant. Vnde, teſtante *Proclo*, Lib. V. Commentar. in Parmenidem Platonis, οἱ πυθαγόρειοι τῶν λόγων τοὺς μὲν ἔφασαν εἶναι μυστικοὺς, τοὺς δ᾽ ἐξωτερικούς. Qvin, qvam fidum ſilentium his arcanioribus Scientiarum ſacris ipſe Pythagoras ſervari voluerit; teſtatur Ignominia, qva *Hipparchum*, Auditorem ſuum, affecit; qvod nonnulla ex his revelare aliis auſus eſſet: qvem ob hanc cauſam e Schola ſua ejeciſſe, in ejusque locum immobilem lapideam columnam erexiſſe, ex *Clemente* diſcimus. Ipſum etiam *Parmenidem*, alia ad Veritatem ſcripſiſſe, alia ad Opinionem, idem

idem Proclus. c. l. testatur. De *Protagora, Plato* in Theæteto: ἆρ᾽ οὖν πρὸς χαρίτων, πάνσοφός τις ἦν ὁ πρωταγόρας. καὶ τοῦτο μὲν ἠνίξατο τῷ πολλῷ συρφετῷ, τοῖς δὲ μαθηταῖς ἐν ἀπορρήτῳ τὴν ἀλήθειαν ἔλεγε. i. e. *An non, per Gratias, Sapientissimus erat Protagoras? & hoc quidem ænigmatice ostendit promiscuo vulgo. At discipulis in Arcano, veritatem dicebat.* Et de ipso *Platone, Galenus*, Lib. de Substantia Facultatum Naturalium: Πλάτων γοῦν τὴν φυσικὴν θεωρίαν ὀλιγίστοις ἀκροαταῖς, καταχολουθεῖν ἐπιστημονικοῖς λόγοις δυναμένοις ἀποχωρήσας τῶν τοῖς πολλοῖς δοκούντων &c *Plato quidem ipse, Omnem Naturalem Speculationem, paucissimis Auditoribus, scientificos Sermones assequi valentibus, separans ab his, quæ vulgo creduntur* &c. Vt interim de *Galeno* ipso nihil dicam; qvem & in sua Arte docenda, tale aliqvod Auditorum Discrimen instituisse & observasse, annotat *Casp. Hofmannus*, Comment. in Galen. de Vsu Partium. Certe *Stoici* qvoqve suos habebant secretiores Sermones: qvos non omnibus communicabant: eosque Esotericos appellabant. Qvod Idem *Galenus*, Lib. III. de Placit. Hipp. & Gal. innuit. οὐ μὴν προσίενται τε πάντες οἱ Στωικοὶ τὴν τοιαύτην ἐξήγησιν, ἀλλ᾽ ἕτερόν τι λέγεσθαι φασίν, οὐ δηλοῦσι δ᾽ αὐτὸ, τῶν ἐσωτερικῶν ὑπάρχειν δηλονότι. καὶ ἐπιτιμῶσιν ἡμῖν εὐθέως, ὡς προπετῶς ἀντιλέγουσι, πρὶν γνῶναι τὸ λεγόμενον i. e. *Neqve enim omnes Stoici recipiunt talem expositionem, sed aliud qvid dici ajunt, neqve id declarant, nimirum Interiorum qvidpiam existens: & reprehendunt nos, qvod statim ac præcipitanter contradicimus, priusqvam noscamus id, qvod dicitur.* Vnde & *Zeno* τοὺς μὲν ἀληθεῖς ἐκάλει τῶν λόγων, τοὺς δὲ χρειώδεις. Et, ut paucis absolvam, qvæ aliunde prolixius hauriri possunt; *Clemens* Lib. V. Stromat. de secretioribus hisce Philosophorum Doctrinis ait: *Non solum autem Pythagorei & Plato, multa occultabant, sed etiam Epicurei dicunt, qvædam esse apud se Arcana, & non permittere omnibus, ut ea scripta legant. Quin etiam Stoici dicunt, a Zenone primo qvædam fuisse conscripta, qvæ non facile permittunt legere*

Diſcipulis,qvorum non prius fuerit factum ab ipſis periculum, an germane, an ſincere philoſophentur. Ariſtotelici qvoqve dicunt,ex ſuis Scriptis,alia qvidem eſſe ἐσωτερικά,i. e. Interiora, alia vero Communia, ἐξωτερικὰ Exteriora. Qvin etiam,qvi fecerunt Myſteria,cum eſſent Philoſophi, ſua Dogmata obſcuraverunt fabulis, ut non eſſent manifeſta omnibus. Et hoc qvidem Græci: poſtqvam ſemel, Hominum culpa, Scientiarum Arcana revelari,& in aperto,palam,neſcio an non incaute ſimul, tractari coepere. Longe aliter Antiqviſſimi illi,qvi primi Sapientiam & Artes, Græciæ aliunde intulere. Hi enim, Gentium, a qvibus illa accepere, morem ſervantes; non niſi ſub Sacrorum Specie,Scientias tractabant. Qvæ, ut ſua propria Natura, Cultum qvidem ab omnibus poſcunt; Senſum autem & Inſpectionem a pauciſſimis: nec niſi ab iis,qvi peculiari qvodam (ut ita dicam) meliore Fato ad id qvaſi deſtinati ſunt: ita illi qvidem Harum Cultum & Venerationem omnibus libenter permiſere: Intellectum autem & Senſum, Sibi & Sacerdotibus ſolis ſervavere. Vnde facili Conjectura aſſeqvi poſſumus; cur Antiquiſſimi Reges, pleriqve,Sacerdotes ſimul fuerint? Nempe Regum intererat, noſſe qvid ubivis intra ſuos Fines ageretur & gereretur; imprimis iis locis,& ab iis, qvi ſecretius qvid & occultius affectabant. Qvod, cum iis,vi Sacrorum ipſorum,innoteſcere non potuerit, niſi ipſi ſeſe Sacerdotibus erudiendos & docendos commiſiſſent; facile deinceps,Innocentia & Pulchritudine illorum Sacrorum,eo permovebantur; ut ipſi qvoque Sacerdotia ſuſcipere & palam gerere, Regiæ ſuæ Dignitati conveniens eſſe, ſibi perſvaſerint. Itaqve illi primi Sapientes, aut Literis nihil prorſus commiſere, aut ſi qvid; non niſi ea, de qvibus periculum erat, ne forte,lapſu Temporum,e Memoria Hominum penitus delerentur & evaneſcerent: idqve eo modo,ut ſi vel maxime, Caſu aliqvo, Scripta illa in manus τῶν ἀμυήτων aut βεβήλων incidiſſent; non tamen ab iis intelligi poſſent. Vnde illis excogitata ſunt, Fabularum Involucra, Aenigmatum Labyrinthi, Figurarum præſtigiæ &c. a nemine

mine facile, nisi Gnaris, intellectæ. Exemplo nobis sit, Ipse, cujus Causam heic agimus, *Orpheus*: qvem Sacrorum istorum, & Fabularum omnium, in Græcia Parentem, omnes fatentur: ut hic qvoqve Aenigmaticis & Figuratis verbis, Secreta suæ Doctrinæ, a vulgi oculis subtraxerit. De qvo *Epigenes*, ἐν τῷ περὶ τῆς Ὀρφέως ποιήσεως, citante *Clemente Alexandrino*, Strom. V. τὰ ἰδιάζοντα παρ' Ὀρφεῖ ἐκτιθέμενος, ait: ΚΕΡΚΙΣΙ ΚΑΜΠΥΛΟΧΡΩΣΙ, τοῖς ἀρότροις μηνύεσθαι. ΣΤΗΜΟΣΙ δὲ, τοῖς αὔλαξι. ΜΙΤΟΝ δὲ, τὸ σπέρμα ἀλληγορεῖσθαι. καὶ ΔΑΚΡΥΑ ΔΙΟΣ, τὸν ὄμβρον δηλοῦν. ΜΟΙΡΑΣ δὲ αὖ, τὰ μέρη τῆς Σελήνης τριακάδα, καὶ πεντεκαιδεκάτην καὶ νεομηνίαν. διὸ καὶ ΛΕΥΚΟΣΤΟΛΟΥΣ αὐτὰς καλεῖν τὸν Ὀρφέα, φωτὸς οὔσας μέρη. πάλιν ΑΝΘΙΟΝ μὲν, τὸ ἔαρ, διὰ τὴν φύσιν. ΑΡΓΙΔΑ δὲ, τὴν νύκτα, διὰ τὴν ἀνάπαυσιν. καὶ ΓΟΡΓΟΝΙΟΝ τὴν σελήνην, διὰ τὸ ἐν αὐτῇ πρόσωπον. ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ δὲ τὸν καιρὸν καθ' ὃν δεῖ σπείρειν, λέγεσθαι παρὰ τῷ θεολόγῳ. i. e. κερκίσι καμπυλόχρωσι, i. e. *Radiis incurvi corporis*, ARATRA significari. στήμοσιν autem, h. e. *Staminibus*, SVLCOS. μίτον autem, h. e, *Filum*; dici allegorice SEMEN. & *Jovis Lacrymas*, significare PLVVIAM. μοίραν autem h. e. *Parcas*, rursus PARTES LVNAE, TRICESIMAM, QVINTAM DECIMAM & NOVAM LVNAM. Qvocirca dicit etiam Orpheum Eas vocare λευκοστόλους, i. e. *Candidatas*, ut qvæ sint partes Lucis. Rursus, ἄνθιον qvidem, i. e. *Floridum*, VER significare, propter Naturam. NOCTEM autem ἀργίδα, propter Qvietem. & LVNAM, γοργόνιον, propter eam, quæ est in ipsa Faciem. & ἀφροδίτην, i. e. *Venerem*, apud Theologum dici TEMPVS, QVO SEMINARE OPORTEAT. Quibus similia invenies etiam apud *Malchum*, seu *Porphyrium*, in vita Pythagoræ. Et hic Mos, Scientiarum Sacra, intra Adyta & Templorum Secreta concludendi, diu admodum in Græcia viguit: donec paulatim illa inde qvasi extrahere & subfurari, audaciores qvidam, nihilominus tamen Sapientes & Sacrorum conscii Viri, ausi sunt. Qvi tamen dignitati illorum sollicitata cura prospicientes; majori insuper & spissiore qvasi, Fabularum & Aenigmatum tegumento

mento, eas munivere. Inter qvos Homerum & Heſiodum primos numerant. Qvos deinceps, apertius philoſophantes inſecuti; ne hi qvidem omnem curam, Secretiora occultandi, penitus ita abjecere, ut non unus qvisqve, qvi aliqvid docere aut Litteris etiam conſignare voluerit; ſecretiorem aliqvam ad id Viam excogitaret: qva prima qvaſi, & intima capita, obvoluta ſic remanerent. Inde *Thales*, omnia ex *Aqva*: *Anaximander*, ex *Infinito*: *Anaximenes*, ex *Infinito* & *Aëre*, fieri dixerunt. *Anaxagoras*, *Chaos* & *Homæomerias*, & *Mentem Formatricem* adinvenit. *Empedocles*, *Litem, Amicitiam, Sphæram*. *Leucippus & Democritus*, *Atomos*. *Heraclitus*, *Ignem*. *Xenophanes*, *Vnum, finitum vel infinitum; Sphæricum*. *Parmenides*, *Vnum immobile*. *Pythagoras*, Orpheum ſecutus in omnibus, per *Symbola*, *Numeros, Figuras Mathematicas*, &c. Scientiarum ſacra tractavit. Alii ad occultanda Arcana, adhibuerunt etiam *Locutionis modum, Carmen* & *Figuras*. Vel, ſi ſoluta Oratio eſſet, *Periodos breves, conciſas & obſcuras*: qvales *Heracliti*, (ob qvas *Scotinus* eſt appellatus) *Democriti, Ocelli, Timæi*, atqve aliorum, *Hippocratis* qvoqve fuiſſe, conſpiciuntur. Qvin deinceps *Plato* etiam, Orphicum illum & Pythagoricum morem ſecutus, & *Fabulis* & *Numeris*, Sacratiores Doctrinas tractaſſe, deprehenditur: Morales tantum diſciplinas, ad Juventutem erudiendam, apertius docuiſſe. Donec tandem *Ariſtoteles*, & illi Sectarum variarum Auctores & Propagatores, omnibus velamentis nudatas Scientias, omnibus proſtituere. Hoc tantum diſcrimine, inter Auditores ſuos, obſervato; de qvo ſupra prolixe actum eſt. Ex qvibus hucusqve diſputatis, jam nunc conſtare poteſt: qvid Antiqviſſimi illi Græci, ante Pythagoram, &, ante qvam Scientiarum Secreta in aperto tractari cœpere; ſuis iſtis *Myſteriis*, Τελεταῖς, *Orgiis*, *Ceremoniis*, *Initiis* &c. voluerint. Nempe idem, qvod Philoſophi ſecuti, ſuis Doctrinis, Libris, Commentariis. Hoc tamen diſcrimine: Vt, qvod hi Literis & Vocibus infinitis propalarunt, & tantum non profanarunt; hi ſumma Veneratione,

ratione,

Digitized by Google

ratione, Sanctissimo Silentio, intra Templorum claustra, paucis aliqvibus Ceremoniis, Symbolis, Narratiunculis; qvarum Sensum, non nisi Sacerdotibus indicabant; adumbrarent. In qvibus ipsis tractandis, qvam cauti, qvam solliciti fuerint: ne omnia, omnibus etiam Mystis ipsis, ita paterent: fidem faciunt, tot Voces Mysticæ, tot arcana Verba: non nisi μυσταγωγοῖς, aut ἱεροφάνταις, & summis Sacerdotibus intellecta; in ipsa Sacrorum Tractatione adhibita. Itaqve, cum in universa illa sacra, Admissorum, turba, varii & diversi personarum Gradus essent: *Initiati, Mystæ, Epoptæ, Sacrorum Ministri, Sacerdotes*, (ex qvibus *primi*, levioribus tantum qvibusdam Ceremoniis, in consortium reliqvorum, qvasi introducti & intromissi: *Mystæ*, Præliminariis qvasi qvibusdam, & minoribus Sacris, adstare permittebantur: *Epoptæ*, in Adytum qvoqve Majorum Sacrorum admissi; Spectatores etiam Symbolorum & interiorum Ceremoniarum adhibebantur: *Ministri*, suo qvisqve Ministerio, Ceremonias ipsas peragebant: dum interim *Sacerdotes*, Sacra & Symbola tractabant) Soli *Hierophantæ*, aut, si vel maxime fortassis aliis, non tamen nisi *Sacerdotibus*, Sensus arcanorum, relinqvebatur. Qvem, qvi acceperunt; proprio nomine Τελεσταὶ appellabantur. Doctrina vero ipsa: sive scripto contenta, sive Ore tradita fuerit; Τελετὴ, aut Τελεταὶ. Vnde *Chrysippus*, apud Auctorem Etymol. τοὺς περὶ τῶν θείων λόγους φησὶ, εἰκότως καλεῖσθαι τελετάς. χρῆναι γὰρ τούτους τελευταίους καὶ ἐπὶ πᾶσι διδάσκεσθαι. Qvamobrem, qvodnam *Argumentum* habuerint istæ Τελεταὶ, quæ, Teste *Svida*, ab *Orpheo* conscriptæ, ab aliis vero, *Onomacrito* adjudicatæ, olim legebantur; facile, credo, ex dictis judicari poterit. Nempe clariorem qvandam Expositionem, mea qvidem Sententia, τῶν Ἱερῶν Λόγων, *Arcanorum Sermonum.* Tum forte etiam, *Ordinem* & *Apparatum*, qvo Sacra, Mysteria, Initiationes &c. peragenda essent. Qvæ Orphicæ Τελεταὶ, in tanto precio olim habitæ fuere; ut illarum gnari, non alio magis nomine sese appellaverint, qvam *Orpheotelestarum*, qvorum non semel mentio fit apud Scriptores Antiqvos.

ΘΡΟΝΙΣΜΟΙ ΜΗΤΡΩΟΙ ΚΑΙ ΒΑΚΧΙΚΑ.

ΘΡΟΝΙΣΜΟΙ ΜΗΤΡΩΟΙ.

Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστίν. Myſtis, Initiatis, Ἐπόπταις, nec aliis, Sacrum Sermonem, vere ἀπόῤῥητον, nec tamen extra limen, ſed intra parietes ipſius Sacrarii, Sacrorum Doctoris, Orphei: ſuo nimirum loco, ut Myſtas decet, pandam. Illa Sacra, qvæ proprio ſibi nomine Μυστήρια dicta, qvicqvid erant, qvicqvid in ſe continebant; occultabant: nullaqve alia re Reverentiam ſui magis tuebantur; qvam Silentio, Tenebris, Ignorantia. Ea ego profero, ea recludo, ea doceo. SACRA CERERIS, omnibus olim, ſive occultaveris, ſive revelaveris, ſacerrima. Qvis enim aut Græcorum aut Barbarorum Gentilium tam ſcævus, tam immitis; aut qvis ita plane Orbe exulavit, aut divinorum etiam expers fuit, aut deniqve, ut breviter dicam, omnium bonorum ſpecioſorum tam ignarus tamqve inſenſibilis usqvam vixit, qvi non Eleuſinem, tanqvam commune totius Orbis Delubrum, reſpexerit; omniumqve, tam Divinorum qvam Humanorum, unice reverendum, unice horrendum & tremendum Templum, veneratus fuerit? Sed qvis unqvam inde rediit, qvi aliud, præter Silentium, reportavit? Incuria hominum, Incogitantia, Malitia etiam, qvin Religio interdum, qvædam protulit, *Qvomodo* ibi actum ſit. *Qvid* autem, & *Qvem in Finem?* Nemo, qvod ſciam, unqvam diſerte docuit. Imprudentibus nonnunqvam, hic, inde, qvædam excidere: & ſane, non vereor dicere, Invitis. Qvæ, dum ea ſagaci mente ſectati ſumus; non fallacibus, confido, veſtigiis, in ipſa tandem Adyta nos introduxere: Ex qvibus qvæ inibi contemplatus ſum; illa proferam, qvæ ad ipſam, veram, propriam Sacrorum iſtorum Mentem pertinere perſvaſus ſum.

Qvicunqve in Antiqvorum, imprimis Poëtarum, Scriptis, ea, qvam reqvirunt, animi attentione, versati sunt; mecum confitebuntur, verum esse, qvod *Plutarchus* Libro περὶ τῶν ἐν Πλαταιαῖς Δαιδάλιων scripserat: ὅτι μὲν οὖν ἡ παλαιὰ φυσιολογία, καὶ παρ' Ἕλλησι καὶ βαρβάροις, λόγος ἦν φυσικὸς ἐγκεκαλυμμένος μύθοις, τὰ πολλὰ δι' αἰνιγμάτων καὶ ὑπονοιῶν ἐπίκρυφος καὶ μυστηριώδης θεολογία. Τά τε λαλούμενα τῶν σιγωμένων σαφέστερα τοῖς πολλοῖς ἔχοντα. καὶ τὰ σιγώμενα τῶν λαλουμένων ὑποπτότερα. Δῆλόν ἐστι, pergit, ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς ἔπεσι, καὶ τοῖς Αἰγυπτιακοῖς καὶ Φρυγίοις λόγοις. Μάλιστα δὲ οἱ περὶ τὰς τελετὰς ὀργιασμοὶ, καὶ τὰ δρώμενα συμβολικῶς ἐν ταῖς ἱερουργίαις, τὴν τῶν παλαιῶν ἐμφαίνει διάνοιαν. i. e. *Antiqvam tam Græcorum qvam Barbarorum Physiologiam, nihil aliud fuisse, qvam sermonem de Natura, Fabulis inclusum, maxima sui parte Aenigmatis & Arcanis dictis obvolutum, Latentemqve adeo Theologiam. Cujus qvidem ea qvæ proferebantur, vulgus facile capere poterat; qvæ vero occultabantur & silebantur, suspicioni & conjecturæ magis relinqvebantur. Hoc videre est in Orphicis Carminibus, & Aegyptiis, Phrygiisqve Sermonibus. Maxime vero solemnes Initiandi ritus, & qvæ in Hierurgiis Symbolice peraguntur, qvæ mens Veterum, qviqve Sensus fuerit, ostendunt.* Et, qvemadmodum de priore, (qvod nimirum Antiqvi isti Sapientes, sub Fabularum suarum involucris, res maximi momenti, & qvæ vel ad Naturam Vniversi, ejusqve partium; vel etiam ad Deorum Religionem pertinerent, occultaverint) neminem, cui pectus sapit, dubitare confido; ita ex his, qvæ præ manibus habemus, *Sacris Cereris*, ex solemnibus eorum *Initiandi Ritibus*, iisqve, qvæ inibi adhibebantur, *Arcanis Symbolis*, qvæ Mens Veterum, qviqve Sensus fuerit; qvantum in nobis est, eruere & ostendere studebimus. Quod ut distinctius fiat; Fabulosam Narrationem, seu Arcanum & Ἱερὸν λόγον, Sacrorum Cereris, præmittamus. Is autem, ex *Minutio*, hic est: *Ceres, facibus accensis, & Serpente circumdata, errore subreptam & corruptam Liberam, anxia & sollicita, vestigat.* Aut, ut clarius, qvicqvid ibi contine-

" , batur , proferamus: Proserpina , Cereris , ex Jove , Filia , tene-
" , ros , vere novo , Flores carpens ; â Plutone , Patruo , rapitur.
" , Inde per freqventes Sylvas portata , tandem per Maris dorsum
" , transvecta , â Plutone , in Speluncam , sedem Inferorum , de-
" , fertur : ibiqve imperium in Inferos exercet. Ceres Mater ,
" , amissâ Filiâ , Facibus accensis , totum orbem pervagatur , ejus
" , qværendi causa : donec Eleusinem venit. Ibi Filiam reperit ,
" , & Eleusiniis Frumenti sationem monstrat. Nunc, qvid ex veterum Theologia , singula hæc Deorum Nomina , sub istis occultent ; indicandum breviter erit. JVPITER , ut ex seqventibus patebit , *Animam Mundi* designat. Hic , ex CERERE , omnis foecunditatis Deâ , i. e. *Anima Siderea* , producit COREN , Puellam , Virginem , puram , castam , intactam , *Animam Humanam*. PLVTO , qvem τὴν ὕλην , sive *Materiam sublunarem* dixerunt ; Jovis est Frater , i.e. *æqvale cum Anima Mundi* , *hujus Vniversi Principium & Elementum*. SPELVNCA , seu *sedes Inferorum* ; est *Corpus Humanum*. His ita explicatis , Narrationem ipsam intueamur : & qvæ Mens , qviqve Sensus Mysteriorum inde resultet ; deprehendemus. *Cicero* Libro II. de Legibus , Celebritatem & Sanctitatem , cum Fructu & Vtilitate , qvam Humano Generi exhibent , horum Sacrorum , deprædicans ; *Multa* , inqvit , *eximia* , *divinaqve videntur Athenæ tuæ peperisse , atqve in vitam hominum attulisse ; tum nihil melius illis mysteriis , qvibus ex agresti immaniqve vita , exculti ad humanitatem , & mitigati sumus: Initiaqve , ut appellantur , ita revera* PRINCIPIA VITAE *cognovimus*. Et Actionie V. in Verrem : *Teqve , Ceres , & Libera , qvarum sacra , sicut opiniones hominum , ac religiones ferunt , longe maximis atqve occultissimis Ceremoniis continentur ; à qvibus* INITIA VITAE ATQVE VICTVS , LEGVM , MORVM , MANSVETUDINIS HVMANITATIS EXEMPLA *hominibus & civitatibus data ac dispertita esse dicuntur*. En Tibi primum & præcipuum *Scopum* , ad qvem hæc Sacra respiciunt : Vt revera

vera inde cognoſcant homines PRINCIPIA ET INITIA VITAE SVAE. En *Fructum*, qvem deinceps, in vita, ferre debeant: Vt Orgine ſua perſpecta, *Homines*, EX AGRESTI IMMANIQVE VITA EXCOLANTVR AD HVMANITATEM ET MITIGENTVR, VT LEGVM, MANSVETVDINIS, HVMANITATIS EXEMPLA *inde hauriant & deducant*. Hoc Sacra volunt, hoc Fabula docet. Ac de primo qvidem, primum. *Core*, ſeu *Anima Humana*, qvam ex primo illo & uberrimo, limpidiſſimoqve & puriſſimo *Mundanæ Animæ* (Jovis) fonte, per *Sidereæ Animæ* (Cereris) traducem in inferiora hæc corpora derivari, conſtans Veterum Sapientum traditio voluit; teneros *Flores* carpit: i. e. Virginali Simplicitate, τῆς ὕλης, qva parte Cœlum contingit, Flore capta, tota mente in ὕλην iſtam fertur. Pluto, *Materia ſublunaris*, iſtam Coren, materialis cogitationis pondere jam gravatam, *occupat*: ſecumqve per *ſeptem Sphærarum Sylvam*, & deniqve, turbidiſſimæ *Materiæ ſublunaris Oceanum*, devehit in Speluncam, Inferorum Carcerem, *Corpus Humanum*. Qvod priſci illi & Antiqviſſimi Sapientes, aliud eſſe Inferos negaverunt; qvam ipſa corpora: qvibus incluſæ Animæ, Carcerem foedum tenebris, horridum ſordibus & cruore, patiuntur. Hoc Animæ Sepulchrum, Hoc Ditis Concava, hoc Inferos vocaverunt. vid. *Macrob.* Lib. I. cap. X. in Somn. Scip. Ibi *Proſerpina* Imperium in Inferos exercet: i. e. in hoc tenebricoſo Corporis Regno, Anima, Regina, Cupiditatibus, Paſſionibus, Affectibus, qvi in Corporis Humani Carcere concluſi, circum clauſtra fremunt, & tumultuantur; frena injicit, juraqve, & leges, ſi qvas admittunt; præſcribit. *Ceres* autem, *Anima Siderea*, κόρην ſuam, dilectiſſimam ſui partem, accenſis facibus, per univerſum Orbem ſollicita qværit: i. e. omnium ſiderum ſuorum vim colligens, & indefeſſo curſu circa Terræ Orbem, ſuæ Dilectiſſimæ nunc ſedem, rotata; omnia in Hominem, ob ſuam κόρην, ſollicite confert. Et deniqve, illam cum corpore ſuo, tam arcte cunjunctam & connexam deprehendens; in qvo tamen

ſummo & honeſtiſſimo loco haberi eam cernit; beneficam ſe huic qvoqve præbet: &, qvo maxime corpus ſuſtentatur, *Frumenti* Vſum, docet. Hæc ſunt, qvæ Sacra iſta, ſecundum Ciceronem, docent, PRINCIPIA ET INITIA VITAE NOSTRAE.

Eadem hæc, in ipſa Sacrorum celebritate, *Ceremoniis* qvoqve & externis Symbolis, innuere. Inde, *priſtinam & patriam Animæ, Cœleſtem Sedem* indicantes; peragebant ipſa Sacra, ἐν οἴκῳ μυστικῷ, ὑπερφυῆ κάλλει καὶ μεγέθει. Inde οἱ μυούμενοι, *Myrto* coronabantur: ad ſanctum iſtud connubii fœdus indicandum: qvo Cœleſtis hæc Sponſa, caſtiſſima, puriſſima, Virgo; in manus novi ſui Mariti; Corporis, traditur. Inde, ſub ingreſſum τοῦ οἴκου μυστικοῦ, *Manus lavabant, Mentemqve puram, Manusqve caſtas habere jubebantur.* Qvo & ad eſſentialem hujus Κόρης puritatem, tum etiam; morali πορίσματι; ad ipſos, qvi auguſtiſſima hæc ſacra tractare volebant, reſpicitur: ut nimirum illi, qvi caſtiſſimam & cœleſtem Animæ ſuæ Originem, in his Sacris, contemplari & doceri cupiant; ipſam illam, qvantum pote, puram, & terrena fæce purgatam, huic Contemplationi ſiſtant. Inde deniqve, qvod *Fœminæ,* qvæ his Sacris initiabantur, vel iis etiam miniſtrabant, Μέλισσαι, *Nymphæ* dicebantur. Porro; qvod ipſum hunc cœleſtis Animæ, in terrenum corpus deſcenſum & immerſionem ſignabat; Interrogatus Myſtes novus, ab Hierophanta: *An Ediſſet; an vero nondum?* Reſpondebat: Animæ nomine: ἐνήστευσα. i. e. *A terrenis & impuris corporis voluptatibus hactenus qvidem abſtinui:* ἀλλ᾽ ἔπιον τὸν κυκεῶνα, *nihilominus allabentis & affluentis materiæ potum hauſi & experta ſum.* ἔλαβον ἐκ κίστης (qvam profanis, vel intueri, nefas erat: qva proinde, vel ipſum primigenium & patrium Animæ locum intelligebant; vel ſummum, τῆς ὕλης, & puriſſimum Florem, qvem *Nectar* appellabant priſci) id eſt igitur: *Ibi, vel Inde, primum potum* ὑλικὸν *hauſi.* ἐργασάμενος, ἀπεθέμην εἰς κάλαθον (i. e. *Corpus.* Κάλαθος enim erat, in qvo omne genus

nus Frugum, in Sacris hujus Deæ, confluebat; ut cibi, omnis generis, in Corpus) *hoc igitur facto, i. e. hausto materiali potu; in Corpus recondita sum.* καὶ ἐκ καλάθου, εἰς κίστην, & *ex corpore nunc, illuc, unde descendi, saltem contemplatione, revertor.* Terrorem autem, & ἀδημονίαν, cum ἀπορίᾳ συμπάσῃ; qvam Animam experiri, dum in ὑλικὸν istum abyssum delabitur, prisci illi credebant; (in qvo casu etiam *Plato*, Animam *Nova Ebrietate trepidantem* fingit) adumbrabant *Tenebris* istis, *Fragoribus*, & subinde *Fulminibus*, qvæ novo Mystæ, sub ingressum, objiciebant. Qvemadmodum vicissim, ut eidem Animæ præmonstrarent felicem & beatum, in qvem post soluta corporei carceris vincula, reversura sit, Statum; ex illo Terrore, illisqve Tenebris, subito novo Mystæ aperiebant θεάματα & ἀκούσματα, qvæ unqvam excogitari possunt, amœnissima & deliciosissima. Quod, ut melius intelligatur, adducam bina ex *Themistio* Loca, qvæ præ aliis omnibus, a *Meursio* citatis, huc maxime spectant: Ὁ μὲν ἄρτι προσιὼν, inqvit, τοῖς ἀδύτοις, φρίκης τε ἀνεπίμπλατο καὶ ἰλίγγου. ἀδημονία τε εἶχετο καὶ ἀπορία συμπάσῃ, οὐδὲ ἴχνους λαβέσθαι διός τε ὤν, οὔτε ἀρχῆς ἡστινοσοῦν ἐπιδράξασθαι εἴσω φερούσης. ὁπότε δὲ ὁ προφήτης ἐκεῖνος ἀναπετάσας τὰ προπύλαια τοῦ νεὼ, καὶ τοὺς χιτῶνας περιστείλας τοῦ ἀγάλματος, καλλύνας τε αὐτὸ, καὶ ἀποσμήξας πανταχόθεν, ἐπιδείκνυ τῷ μυουμένῳ μαρμαρύσσον τε ἤδη, καὶ αὐγῇ καταλαμπόμενον θεσπεσίᾳ, ἥτε ὁμίχλη ἐκείνη καὶ τὸ νέφος ἀθρόον ὑπερρήγνυτο. ΚΑΙ ΕΞΕΦΑΙΝΕΤΟ, Ο ΝΟΥΣ ΕΚ ΤΟΥ ΒΑΘΟΥΣ. ΦΕΓΓΟΣ ΑΝΑΠΛΕΩΣ ΚΑΙ ΑΓΛΑΙΑΣ, ΑΝΤΙ ΤΟΥ ΠΡΟΤΕΡΟΝ ΣΚΟΤΟΥ. Alter locus, qvem *Stobæus*, Sermone CXIX. servavit, hic est: Πρὸ τοῦ τέλους αὐτοῦ τὰ δεινὰ πάντα, φρίκη, καὶ τρόμος, καὶ ἱδρὼς, καὶ θάμβος. ἐκ δὲ τούτου, φῶς τι θαυμάσιον ἀπήντησεν, καὶ τόποι καθαροὶ, καὶ λειμῶνες ἐδέξαντο, φωνὰς καὶ χορείας, καὶ σεμνότητας ἀκουσμάτων ἱερῶν, καὶ φαντασμάτων ἁγίων ἔχοντες. ἐν αἷς ὁ παντελὴς ἤδη, καὶ μεμυημένος, καὶ ΕΛΕΥΘΕΡΟΣ ΓΕΓΟΝΩΣ, ΚΑΙ ΑΦΕΤΟΣ, ΠΕΡΙΙΩΝ ΕΣΤΕΦΑΝΩΜΕΝΟΣ ΟΡΓΙΑΖΕΙ. Qvin, ipsum qvoqve *Tempus*, qvod Sacris hisce impendebant, hunc

Anima

Animæ Descensum respicere,& mystice significare,videtur. Per *Novem* enim *Dies*,Mysteria Cereris acta & protracta fuisse,constat. Jam vero, si mentem Antiqvorum consideres; totidem Gradus hujus Descensus Animæ deprehendes. *Primus Gradus* est, ipsa genuina & originaria Animæ Sedes; *Sphæra* illa, qvæ vocatur Ἀπλανὴς. Ex hac Anima, in τὰ ὑλικὰ despiciens, si eo trahenda est; paulatim in ea ipsa,ad *Portam Cancri*, gravata descendit. Huic Præparationi, ut ita dicam,ad delapsum; consecrabant Sacra,*Primum Diem*:qvem,Ἀγυρμὸν,h.e.secundum *Hesychium*, ἐκκλησίαν, & πᾶν τὸ ἀγειρόμενον, vocabant: qvo item Mystæ sese congregabant, & ad futura Sacra præparabant. A Porta Cancri,Anima jam τὴν ὕλην paulatim degustat, & mergi ac deferri incipit; dum in Sphæram *Saturni* devolvitur: ibiqve, ex veterum mente, induit τὸ λογιστικὸν καὶ θεωρετικόν. Huic Sphæræ *Secundum Diem* adsignabant: qvem Ἅλαδε μύσται vocabant. Eo, qvod Præco illo die admonere Mystas solitus fuerit; *uti ad mare se conferrent*, inqvit *Meursius*. Ego, & hæc inter Mystica referrem: qvod *Aqva*, seu *Mare*, ipsam Materiam & ὕλην designat: Innuisseqve his, ipsum illud Animæ in ὕλην immersionis punctum & tempus. A Sphæra Saturni, descendit in Sphæram *Jovis*: in qva τῷ πρακτικῷ induitur. Ab hac, in Sphæram *Martis*: ubi τὸ θυμικὸν adsumit. Porro, in *Solis* Sphæram: in qva τῷ αἰσθητικῷ καὶ φανταστικῷ vestitur. Inde, *Veneris* eam Sphæra excipit: a qva τὸ ἐπιθυμητικὸν ei adheret. Ex qva porro, in *Mercurii* Sphæram delata; ibi τὸ ἑρμηνευτικὸν addiscit. Donec in *Lunæ Sphæram* postqvam devoluta est; τὸ φυτικὸν inde auffert. Hunc *Octavum* Descensus Gradum, *Octavo die*, Sacrorum Mystæ, celebrabant: *Iterata Initiatione, Secundisqve Sacris.* Hic enim Gradus,confinia continet, purioris Supralunaris,& turbidæ Infralunaris ὕλης; seu Vitæ & Mortis Animarum. Qvasi vero Anima, si eo usqve delata fuerit; non sine desiderio suæ pristinæ Cœlestis Sedis, beatitatem semel adhuc respiciens; ultimum ei Vale acclamaret: & hoc ipso Respectu,

non

non ſine Initiis ipſa, in corpus ſuum ita deſcenderet. Vnde *Nono* demum *Die*, qvando videlicet Anima jam Terram, ſuumq; Corpus intrat; *ultima* Sacra peragentes; *Libationem*, ut in Sacris moris erat, inſtituebant. Quam, ut & ipſam Diem, Πλημοχόην vocabant. Hic, bina Vaſa teſtacea, lato & ſpacioſo fundo, quæ & ipſa Πλημοχόαι & Κοτυλίσκοι appellabantur, implentes; unum ad Ortum, alterum ad Occaſum ſtatuebant: fortasſis, Ortum & Occaſum hujus terrenæ vitæ reſpicientes. Poſt, cœlum intuentes: Primum, quod Ortum verſus collocatum erat, Vas; effundebant: alta voce inclamantes ſimul, myſticum illud, Υἱὲ. Qvod dubio procul Libamen, *advenientis in Corpus Animæ*, Divinæ iſtius & cœleſtis ſubolis, Honori conſecrabant. Qvemadmodum viciſſim alterum, qvod Occaſum verſus ſtatuebatur, Vas, ut Euripides ait, *εἰς χθόνιον χάσμ' εὐφήμως προχέοντες*; alta rurſus voce inclamarunt, myſticam vocem, Τοκυῖε. Qvo Libamine, eandem Animam, poſt vitæ hujus Occaſum, in cœlum & priſtinas ſidereas ſedes revertentem; Parentibus ſuis, Jovi & Cereri, commendaſſe credere poſſis. Niſi melius forſan, cum Proclo, hos Κοτυλίσκους ita interpretari velis, ut alterum, Animæ ipſi Sacrum, effuderint in teſtimonium divinæ ejus & cœleſtis originis: Alterum autem, in honorem Terræ: ut quam nunc Anima, corpori juncta, non ſecus ac Cœlum, pro Parente ſua habere & agnoſcere debeat. Vt adeò, per Parentes, hoc in Ritu appellatos, non tàm Jovem ac Cererem, qvàm Cœlum & Terram intellexerint. Quas binas divinitates, omnis Generationis primas cauſſas, interpretati ſunt antiqvi Sapientes: & ipſam Terram ideò ab Orpheo noſtro Πρώτην Νύμφην appellatam, ejusq; *ἕνωσιν πρὸς τὸν οὐρανὸν*, Πρώτιστον Γάμον: teſtatur idem Proclus, Lib. V. in Timæum Platonis. Qva de re pluribus agetur infra, ubi doctrinam Orphei *περὶ ἱερῶν Γάμων* conſiderabimus. Donec tandem, finitis omnibus Sacris, Myſtæ acclamabant, ſolemne ſuum: Κὸγξ, Ὄμπαξ. Qvas ego voces, non Voces, ſed Sonos qvosdam, qvales omnes Gentes habent, ſi

qvando vel caſum, vel colliſionem, vel qvemvis ſubitaneum motum, ſine nomine, exprimere volunt; fuiſſe arbitror: Qvibus pronunciatis, finem Lapſus animæ, & Sacrorum ſuorum, indicare voluerint. Plura hic, ex reliqvis, & pluribus, horum Sacrorum, Ritibus afferri, & noſtro huic aſſerto comprobando, accommodari poſſent: ſed cùm hæc, ut potiora, ſatis, quod diximus, confirment; ad alteram Scopi, ſeu Finis Sacrorum horum, Partem, pergamus. Qvæ eſt, Vt Homines, ex AGRESTI IMMANIQVE VITA, EXCOLANTVR AD HVMANITATEM, ET MITIGENTVR. VT LEGVM, MORVM, MANSVETVDINIS, HVMANITATIS EXEMPLA inde hauriant. Qva in re, conſentientes habemus plurimos & graviſſimos, Præter Ciceronem, Auctores. Quorum tamen omnium inſtar (ne prolixiores præter neceſſitatem ſimus) eſſe poſſit, *Arrianus*: qvi Lib. III. cap. XXI. in Epictetum; paucis verbis omnia concludit: παιδεία καὶ ἐπανορθώσει τοῦ βίου, inquiens, κατεσκευάσθη πάντα ταῦτα ὑπὸ τῶν παλαιῶν. Quod ne nobis qvidem pluribus adſtruendum eſſe arbitramur: Cùm neminem latere poſſit, qvantum ad Cultum, & Mores Animi formandos & emendandos, conferre valeat; ſi homo, cœleſtis ſuæ originis, & veræ illius, cum cœlitibus, vitæ, commonefactus; ſe hic in corpore non vivere, ſed vitam, ſi ſe dignum virtutibus ea fecerit, poſt ſolutionem à corpore, exſpectare, inde didicerit. Proinde, quod noſtri eſt inſtituti, ex ipſis Sacrorum Ritibus, quædam afferemus, qvæ & ipſa, hanc vitæ noſtræ παιδείαν & ἐπανόρθωσιν reſpiciebant & indicabant. Taceo illos Ritus, qvibus Sacra hæc peracturi, ſub ingreſſum, Manus lavabant, Mentemq; puram Manusq; puras, alta & ſonora Præconis Voce, afferre jubebantur: de qvibus jam egimus. Illud Solemne omnibus, his Sacris Initiatis, erat: ut ſeſe *ad Virtutem obſtrictos*, præ reliqvis omnibus mortalibus, putarent: & ideo non in hâc ſolum vita, felicitate omnes alios ſuperare; ſed etiam poſt fata, ἐν Ἅδη, φιλοτιμοτέρως ἔσεσθαι, ibiq; præ aliis προεδρίας jure gaviſuros eſſe, ſperarent. Qvod

præter

præter alios, qvi à Meurſio citantur, Auctores; *Cicero*, loco ſupra adducto, Lib. II. de Legibus, confirmat: *Multa eximia divinaq; videntur Athenæ tuæ peperiſſe, atq; in vitam Hominum attuliſſe: tum nihil melius illis myſteriis; quibus ex agreſti immaniq; vita, exculti ad humanitatem, & mitigati ſumus: Initiaq; ut appellantur, ita revera Principia vitæ cognovimus.* NEQVE SOLVM CVM LÆTITIA VIVENDI RATIONEM ACCEPIMVS, SED ETIAM CVM SPE MELIORE MORIENDI. Quemadmodum e contrario, τὺς ἀμυήτυς, nec Sacris his initiatos, poſt fata, apud Inferos, in *Luto* jacere, pronunciabant. Quod præter alios, *Plato*, in Phædone, teſtatur: καὶ κινδυνεύυσι καὶ οἱ τὰς τελετὰς ἡμῖν ὗτοι καταστήσαντες, ὐ φαῦλοί τινες εἶναι, ἀλλὰ τῷ ὄντι πάλαι αἰνίττεσθαι, ὅτι ὃς ἂν ἀμύητος, καὶ ἀτέλεστος, εἰς ᾅδυ ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται. *Ariſtides*, Eleuſiniâ; omnia hæc complectitur: Ἀλλὰ μὲν τό γε κέρδος τῆς πανηγύρεως, ὐχ ὅσον ἡ παρῦσα ἐυθυμία, ὐδ᾽ αἱ τῦ προτέρυ χρόνυ δυσκολιῶν λύσεις, καὶ ἀπαλλαγαί. ἀλλὰ καὶ περὶ τῆς τελευτῆς ἥδιυς ἔχειν τὰς ἐλπίδας, ὡς ἄμεινον διάξοντας, καὶ ὐκ ἐν σκότῳ τε καὶ βορβόρῳ κεισομένυς, ἃ δὲ τὺς ἀμυήτυς ἀναμένει. Qvibus, qvid ſibi voluerint; facile intelliget is, qvi in animum ſibi revocaverit; qvid de *Purgationibus Animæ*, in hâc vita inſtituendis, ne qvicqvam terrenæ fæcis ei in exitu ſuo adhæreat; Antiqvi docuerint. Inde Summum iſtud Studium, non tantum omnium Athenienſium, ſed qvorumvis honeſtiorum: ut, ſi non in tenera ætate, ſaltem ante mortem, Initiorum participes fierent. Satis ſe poſt hanc vitam beatos fore arbitrantium: modo vel ſemel illud, γνῶθι σεαυτὸν, omnium virtutum fontem & ſcaturiginem, in vita didicerint. Qvemadmodum verò ab omnium, in univerſum, Vitiorum contagio, puros ſe atque immunes tenere, Initiati, ipſorum horum Sacrorum Vi, conſtringebantur: ita imprimis, omne id, ſummo averſabantur opere, quod, qvocunqve modo, arctiſſimum hunc Animæ cum Corpore nexum, ſolvere aut deſtruere poteſt. Hinc, omnes omnino *Homicidæ*,

 etiam

etiam ſi inviti aut ignari, tale qvid perpetraſſent; Sacris hiſce prohibebantur. Hinc Τρίγλης, ſeu *Mullus*, inibi immolabatur: ob eam cauſam, qvam *Aelianus*, Lib. IX. Hiſtor. Animalium, cap. LI. affert: ἐπεὶ τὸν λαγὼν ἐσθίει, ὅσπερ ἀνθρώπῳ θανατηφόρος. Hinc etiam Initiati, veſtem, in qva Sacra ſuſceperunt, eam nunqvam deponebant, niſi detritam laceramq;: qvam Cereri tum & Proſerpinæ conſecrabant; vel eâ, ad faſcias Infantum utebantur. Moniti hâc re, ne qvisqvam audeat corpus, quod ſemel induit, ſponte unqvam deponere: ſed ſolutionem à Deo & Natura exſpectare. Deniqve, arctiſſimam hanc Animæ & Corporis conjunctionem, & citra ingens nefas, non diſſolubile vinculum; innuiſſe mihi videntur, illo etiam πετρώματι, ſeu *Ciſtâ lapideâ*, e duobus lapidibus, inter ſeqvam aptiſſime coagmentatis, conſtante: in qva Libri, qvi myſteriorum Ritus continebant, repoſiti aſſervabantur: & non niſi ab Hierophanta, qvi habitu τοῦ Δημιουργοῦ indutus, Creatoris ipſius perſonam agebat, recludi & depromi inde poterant.

His nunc, qvæ ad primam & palmariam horum Sacrorum Mentem pertinere videntur, ita explicatis; ad reliqva, minora qvidem his, & fortaſſis leviora etiam, ſed qvæ nihil minus, maximè huc pertinere, & ratio, & veterum inſtitutum comprobant, progrediemur. Sunt illa, FRVMENTI VSVS. qvem Cererem Hominibus monſtraſſe, Arcanus Sermo docet. Et ad hunc ſolum omnes jam rencenſitas, horum Sacrorum, Ceremonias; qvin, univerſa etiam Sacra, qvanta qvanta ſunt, reſpexiſſe: communis tam Antiqvorum, qvam Recentiorum τῶν ἀμυήτων opinio erat. Sed, ut homines ſumus, iis fere unice intenti, qvæ ad nos proxime pertinent; &, modo noſtris, qvalibuscunq;, commodis proſpexerimus; de iis qvæ extra nos ſunt, & corpus non tangunt, parum plerumq; ſolliciti: ut ipſius etiam Mentis noſtræ, Sanctiſſimæ & Diviniſſimæ noſtri partis, cultum & rationem, præ corporis cura, pleriqve negligamus: ita hi, vel naturali hac incuria, vel, qvod omnia hæc adeo recondita & arcana habebantur,

tur,

Digitized by Google

tur, ut nemo, niſi Myſtes, vel ad conſpectum horum Sacrorum admitteretur, impediti; ea arripuere; qvæ communiſſima Fabula & recenſebat, & Corporis commoda maxime reſpiciebant. Vnde, ſi qværas, qvid Sacra iſta Cereris ſibi velint; curq; & in qvem finem inſtituta fuerint? plerumq; invenies: Inſtituta fuiſſe in Honorem Cereris, qvod Frumenti uſum homines docuerit: idqve per Ceremonias iſtas, in Sacris uſitatas, myſtice indicari. Sed qvis unqvam credere, aut ſibi perſvadere poſſit, ſanæ mentis homo, totam olim non ſolùm Græciam, omnis Philoſophiæ & Humanæ Sapientiæ Matrem; & in hac, tot maximos & Sapientiſſimos Viros: ex qvibus non pauci omnem Corporis curam præ Animi & Mentis formatione negligendam, & tantum non abominandam cenſuere: ſed Vniverſum fere Terrarum Orbem, hæc Sacra, quæ Frumenti inventioni unice ſacrata eſſent, tam ſancte, tam religiose habuiſſe; ut ea omnibus aliis, Summis licet, & Religioſiſſimis, prætulerint? Si a Paſtu omnis noſtra vita, & omne noſtrum eſſe, dependeret; tunc fortaſſis credere qvis poſſet, in gratam, tam nobilis principii, memoriam, ſacra conſtituta fuiſſe. Sed profecto, in iis ſupervacua fuiſſent, tot arcana Verba, tot occultæ & ſymbolicæ Ceremoniæ: cum Sues & Porci, qvi nihil in occulto habent, etiam hæc Sacra palam qvotidie tractent. Ingens qvidem Deorum munus eſt, *Frumentum*: nec minori beneficio Genus humanum ſibi obſtrinxit, qvisqvis ejus Vſum primus mortales docuit. Hoc tamen pro certo habeo, ejus beneficii memoriam, in his Sacris, non alio fine cultam & revocatam fuiſſe; qvam qvatenus Frumentum, ſimpliciſſimus & ſaluberrimus hominis victus, ad conſervationem hujus ſtrictiſſimi Animæ cum Corpore Nexûs, & ad Hujus imprimis ſuſtentationem & alimentum conducit. Vt adeo in his Sacris, *Totius Humanæ Vitæ Origo, Forma, Ratio & Conſervatio, cum illis, qvæ poſt hanc Vitam, ex Gentilium opinione, ſperare & exſpectare Homo poſſit;* tradita & communicata Myſtis fuerint. Qvemadmodum in alteris illis, *Dionyſiacis*: ut jam mox oſtendemus: *Totius hujus*

Vniverſi, *Conſtitutionem*, *Vitam*, *ejusq; à Summo Ente Dependentiam*, *Ordinem & Proceſſionem*, oſtenderunt & docuerunt. Et ſic, opinor rationem optime conſtare: cur hæc bina Sacra, *Bacchi* & *Cereris*, in tanto honore tantaqve reverentia habita fuerint; ut illa omnibus, ſummis & maximis qvibuscunqve aliis Sacris longe prætulerint? Cum mens humana, nullum majus, nullum dignius, Contemplationis objectum habere poſſit; qvam *Naturam* & *Seipſam*: ſi *Deum*, Summum Ens, ejusqve Λόγον, exceperis. Qvem illi Priſci, tantum abeſt, ut vel ignoraverint vel non coluerint; ut potius Majeſtatem ejus, ſupra omnia humana Sacra, ſupra omnes Ceremonias, ſupra omnes deniqve Fabulas collocaverint: nullaq; alia re, qvam tacito Mentis ardore, digne coli, crediderint & docuerint. Adeo, ut etiam vel in Scholis, vel in Scriptis ſuis, ſi qvando ſumma illa & vere ac unice divina attingant aut doceant; ſollicite ab omni omnino Fabula, abſtineant. Qvod, præter experientiam, diſertis verbis teſtatur, *Macrobius*. Lib. I. in Somn. Scip. *Cæterum*, inqvit, *cum ad ſummum & principem omnium, Deum, qvi apud Græcos τ᾽ ἀγαθὸν, qvi πρῶτον αἴτιον nuncupatur, tractatus ſe audet attollere; vel ad Mentem, quam Græci νοῦν appellant, originales rerum ſpecies, quæ ἰδέαι dictæ ſunt, continentem, ex ſummo natam & profectam Deo; cum de his, inqvam, loqvuntur, Summo Deo ac Mente: nihil fabuloſum penitus attingunt. Sed ſi qvid de his aſſignare conantur, quæ non ſermonem tantummodo, ſed cogitationem qvoq; humanam ſuperant; ad ſimilitudines & exempla confugiunt.* Qvam item cauſam eſſe arbitror, cur etiam in his Sacris, *Hierophantem*, qvi Τελετὰς perficiebat; qviq; habitu τοῦ Δημιουργοῦ, *Creatoris*, indutus, τὸν Νοῦν referebat; *ejusve Nomen proferre & nominare nefas eſſet.* Quamobrem omnis Fabula, omnesq; Ceremoniæ, ab *Anima Mundi* & *Natura* inchoabant: & ſolis Mundanis rebus ſeſe immiſcebant. In qvibus, cum hæc, qvæ hactenus diſputata & recitata ſunt; ſuo merito ſummam & maximam dignitatem præ reliqvis

qvis merentur: ita etiam Sacra illa, qvæ hæc tractabant, jure optimo, & merito suo, inter reliqua Gentilium, summum ac supremum dignitatis & sanctimoniæ Gradum obtinuere.

CLEMENS ALEXANDR.

Admon. ad Gentes.

Ex emendatione Dan. Heinsii.

Ὥς εἰποῦσα, πέπλους ἀνεσύρατο, δεῖξε δὲ πάντα
Σώματος οὐδὲ πρέποντα τύπον, παιδῆιον ἄνθος,
Χειρὶ τέ μιν ῥίπτασκεν ἑῇ Βαυβῶ ὑπὸ κόλποις.
Ἠπίη οὖν μείδησε θεὰ, μείδησ᾽ ἐνὶ θυμῷ,
Δείξατο δ᾽ αἰόλον ἄγγος ἐν ᾧ κυκεὼν ἐνέκειτο.

Arnobio Interprete.

Sic effata, simul vestem contraxit ab imo,
Objecitque oculis formatas ingvinibus res.
Qvas cava concutiens Baubo manu, nam puerilis
Ollis vultus erat: plaudit, contrectat amice.
Tum Dea defigens augusti luminis orbes,
Tristitias animi, paullum mollita, reponit:
Inde manu poclum sumit, risuqve sequenti
Perducit totum cyceonis læta liqvorem.

Hoc Fragmentum ita adducimus, ut *Dan. Heinsius*, in suis ad Clementem Notis, illud emendavit; & nos qvoqve pro genuino agnoscimus. Rationes mutationis, in ipsa Heinsii Nota, qvam hic exhibemus, comparent. Sed, ne qvicqvam desideretur; ecce idem Fragmentum, ut in editis Clementis hodie legitur:

Ὡς εἰποῦσα, πέπλους ἀνεσύρατο, δεῖξε δὲ πάντα
Σώματος, οὐδὲ πρέποντα τύπον· παῖς δ' ἦεν Ἴακχος.
Χειρί τέ μιν ῥίπτεσκε γελῶν Βαυβοῦς ὑπὸ κόλποις.
Ἡ δ' ἐπεὶ οὖν μείδησε θεὰ, μείδησ' ἐνὶ θυμῷ,
Δέξατο δ' αἰόλον ἄγγος. ἐν ᾧ κυκεὼν ἐνέκειτο.

Herveto Interprete.

Sic dixit, vestes tollens, omnemq; figuram
Corporis ostendit turpem: spectabat Jacchus
Tunc ætate puer, gremio à qvo est dextera Baubus
Ridente immissa, ipsa hilari sed tunc Dea mente
Subrisit, variumq; manu qvem fortè tenebat
Potum hausit.

Retulimus hoc Fragmentum in hunc locum, non tam certum indicium Auctoris, ex qvo desumsimus, secuti, qvod ibi nullum apparet; sed ob Argumenti Similitudinem, cum citato Orphei Libro. Pertinet enim ad eundem Arcanum Cereris Sermonem; eamqve rem continet, qvam ex *Arnobio* breviter narrabo. „Ceres cum Filiam suam toto in orbe conqvireret, in istius „conqvisitionis Errore, Eleusinos etiam pervehitur fines. Pagi „istud est nomen, Regione in Attica constituti, qvi, illud tem„poris, has partes incolebant Terrigenæ (αὐτόχθωνες, ***unde Ceres ibi Coren suam i. e. Mentem Humanam, primum reperisse di„citur***) qvibus Nomina hæc fuerant: Baubo, Triptolemus, ca„pellarum Dysaules custos, Eubulus porcorum, gregis lanitii „Eumolpus: à qvo & gens effluit Eumolpidarum, & ducitur „clarum illud apud Cecropios nomen, & qvi postea floruerunt „caduceatores, hierophantæ atqve præcones. Igitur Baubo „illa, malis multiformibus fatigatam accipit hospitio Cererem: „adulatur obseqviis mitibus: reficiendi corporis rogat curam ha„beat: sitienti ardori oggerit potionem, Cyceonem qvam nun„cupat Græcia: aversatur & respuit humanitatis officia mœrens

Dea.

Dea. Rogat illa, atqve hortatur contra, ne faſtidium ſuæ humanitatis aſſumat; obſtinatiſſime durat Ceres, & rigoris indomiti pertinaciam retinet. Qvod cum ſæpius fieret, neqve ullis qviret obſeqviis ineluctabile propoſitum fatigari, vertit Baubo artes, & qvam ſerio non qvibat allicere, ludibriorum ſtatuit exhilarare miraculis. Partem illam corporis, per qvam ſexus fœmineus & ſubolem prodere, & nomen ſolet acqvirere generi eam longiore ab incuria liberat: facit ſumere habitum puriorem & in ſpeciem levigari nondum duri atqve ſtriculi puſionis. Redit ad Deam triſtem: & inter illa communia, qvibus moris eſt frangere ac temperare mœrores, retegit ſe ipſam: atq; omnia illa pudoris loca, revelatis monſtrat ingvinibus: atq; pubi affigit oculos diva, & inauditi ſpecie ſolaminis paſcitur: tum diffuſior facta per riſum, aſpernatam ſumit atq; ebibit potionem. Hæc Arnobius. Qvæ, qvem in ea, qvam modo adduximus, horum Sacrorum Interpretatione, locum obtineant; facile conjectare poterit is, qvi cogitaverit, qvam magna, qvamq; honeſtis mentibus ſuſpicienda res ſit, qvam Hominibus divina benignitas conceſſit: ut ex corporali συνουσίᾳ, Cœleſtem illam & Sideream Prolem, Suæ qvoqve Proli copulare, atq; ita, tam qvoad Corpus, qvam qvoad Animam, ſibi ſimile procreare valeant. Qua ex re, ipſæ illæ cœleſtes & ſidereæ Mentes, tantam Voluptatem capiunt; ut non ſolum illud ſui detrimentum, qvod in aliam & diverſiſſimam, a propriæ ſuæ Naturæ ſede, partem, delatum cernunt, æqvo animo ferant; ſed ipſæ etiam potiunculam, ut ita dicam, ὕλης iſtius (ſed puriſſimam, ſed delicatiſſimam, qvod *Nectar* Antiqvis dictum, ſupra docuimus) delibare & deguſtare aveant. Vnde horum inſtrumentorum, per qvæ hæc ab hominibus peraguntur, toties & tam acerbe Myſtis exprobratorum Species, in numerum Arcanorum, horum Sacrorum, Symbolorum, tranſiere, & in ipſam τῶν ἀποῤῥήτων κίστην irrepſere.

DANIELIS HEINSII, Nota.

Ex Annotationibus ad Clementem Alexandrinum.

Nullus est Criticus, peritus, imperitus, è plebe aut è Patribus, qvi non in hoc loco sudaverit. Et imprimis Summus Vir, Paulus Leopardus, cùm se diu in omnem partem vertisset, ut est homo minime ambitiosus, tandem ait, mystica videri sibi, & non minus qvam hæc ipsa Sacra, qvæ hic Vates prodidit Threïcius, obscura ac involuta. Nam cur nemo, ac ne ipse qvidem Arnobius, qvi Versus hos Latinè fecit, aut ex aliqvo, ut ego arbitror, poëta, qvi Latine Orphica converterat, depromsit, meminit Jacchi? meminit ætatis ejus: meminit flagitii ejus, qvod Bauboni ipse Arnobius asscribit? Nam ecce tibi Versus:

Sic effata, simul vestem contraxit ab imo,
Objecitq; Oculis formatas ingvinibus res.
Quas cava concutiens Baubo manu, nam puerilis
Ollis vultus erat: plaudit, contrectat amice.
Tum Dea defigens augusti luminis orbes,
Tristitias animi paulum mollita reponit:
Inde manu poclum sumit, risuq; seqventi
Perducit totum cyceonis læta liqvorem.

At verò Græcus:

Ὡς εἰποῦσα πέπλους ἀνεσύρετο, δεῖξε δὲ πάντα
Σώματος οὐδὲ πρέποντα τύπον· παῖς δ' ἦεν Ἴακχος,
Χειρί τέ μιν ῥίπτασκε γελῶν Βαυβοῦς ὑπὸ κόλποις,
Ἡδ' ἐπεὶ οὖν μείδησε θεὰ, μείδησ' ἐνὶ θυμῷ,
Δείξατο δ' αἴολον ἄγγος ἐν ᾧ κυκεὼν ἐνέκειτο.

Dedit paraphrasin potius qvam strictam interpretationem Arnobius. Et tamen ecce, de Jaccho nihil. Totum illud drama μυστηριῶδες, *fœdum &* καταπτυστον, *à Baubone & Cerere peragitur.*

agitur. Nusqvam vel levissima Jacchi mentio. Qvid de Versibus loqvor? Idem Arnobius, verbis paulo ante suis, minima maxima sigillatim perseqvitur, & Orphica non tam exponit qvam dilatat: Redit ad Deam tristem, inqvit, & inter illa communia, qvibus moris est frangere ac temperare mœrores, retegit se ipsam: atq; omnia illa pudoris loca revelatis monstrat inguinibus. Atq; pubi affigit oculos Diva, & inauditi specie solaminis pascitur. Tum diffusior facta per risum; aspernatam sumit atq; ebibit potionem: & qvod diu neqvivit verecundia Baubonis exprimere, propudiosi facinoris extorsit obscœnitas. Sed qvid Arnobium loqvor? Totam fabulam interpretatur ipse Clemens, & qvasi stricta Oratione, Orphica diducit. An ergo ipse Clemens meminit Jacchi? Nihil minus. ξενίσασα ἡ Βαυβὼ τὴν Δηὼ, *inqvit*, ὀρέγει κυκεῶνα αὐτῇ. Τῆς δὲ ἀναινομένης λαβεῖν, καὶ πιεῖν οὐκ ἐθελούσης· πενθήρης γὰρ ἦν, περιαλγὴς ἡ Βαυβὼ γενομένη, ὡς ὑπεροραθεῖσα δῆθεν, ἀναστέλλεται τὰ αἰδοῖα, καὶ ἐπιδεικνύει τῇ θεῷ· ἡ δὲ τέρπεται τῇ ὄψει ἡ Δηώ. Καὶ μόλις ποτὲ δέχεται τὸ ποτὸν, ἡσθεῖσα τῷ θεάματι. *Nusqvam hic est Jacchus: nusqvam puer dicitur: nusqvam manum protervè movet. Plane corruperunt hunc Versum homines religiosi, & qvos, uti reor, pudebat verborum: qvæ fuerunt tamen verecunda, si qvis cum Arnobianis contendat. Imo cum præfatione honoris, proferuntur à Vate, pudendis, &, ut ille loqvitur, propudiosis Sacris præfecto. Neq; ulla fœditas in verbis, sed in Sacro, & facto Baubus, Summa* καὶ ἐσχάτη ἀσχημοσύνη *est. Qvam nisi vellent intelligi homines sanctissimi, nunqvam tot verbis totum facinus & fœditatem rei exposuisset Arnobius. Scripserat hoc modo, sine ullo dubio, Poëta Græcus, & sic legit Arnobius:*

Ὣς εἰποῦσα, πέπλους ἀνεσύρατο, δεῖξε δὲ πάντα
Σώματος οὐδὲ πρέποντα τύπον, παιδήιον ἄ.θος.
Χειρὶ τέ μιν ῥίπτασκεν ἑῇ Βαυβὼ ὑπὸ κόλποις.

Ηπίη ἐν μείδησε θεά. μείδησ' ἐνὶ θυμῷ,
Δέξατο δ' αἰόλον ἄγγος ἐν ᾧ κυκεὼν ἐνέκειτο.

Primo versu Eusebium sequuti sumus, apud quem sic legitur, quod nec Sylburgius omisit. Nam ἀνασύρασθαι, *etiam cum absolute ponitur, semper fœdum est in fœminis. In secundo versu, eleganti pariter ac veracunda usus est ellipsi. Nam cum aliquid efferrent cum præfatione honoris, utebantur istis verbis,* ὃ ἢ πρέπον λέγεσθαι. *Ita Halicarnasseus Dionysius, reliquias humanas* τὴν ὃ λέγεσθαι πρέπουσαν ἀκαθαρσίαν, *vocavit. Ita, Orpheus plane eleganter pariter & verecunde,* τύπον σώματος οὐδὲ πρέποντα λέγεσθαι *(nam hoc est intelligendum) vocavit, non obscenam illam partem, per quam, ut sine ulla reprehensione cum Arnobio loquar, secus fœmineum & sobolem prodere, & nomen solet acquirere generi: verum inverecundam illam formam, quam ad exprimendum risum Baubo excogitaverat. Arnobius,* σώματος οὐδὲ πρέποντα τύπον, *vocat, formatas inguinibus res. Vterq; intelligit* παρατετιλμένην. *Non quemadmodum solebant mœchi* παρατίλλεσθαι*: quam pœnam apud Comicos, & alios Latinos etiam, tam sæpe habes: neq; quemadmodum ociosi homines dicuntur* παρατίλλεσθαι, *cum nihil habent quod agant, & irati suo ocio, pilos è naribus aut axillis vellunt. De quibus locus suavissimus est Acharnensibus.*

Ἐγὼ δ' ἀεὶ πρώ πρὸς εἰς Ἐκκλησίαν,
Νοστῶν κάθημαι. κἆτ' ἐπειδὰν ὦ μόνος,
Στένω, κέχηνα, σκορδινῶμαι, πέρδομαι,
Ἀπορῶ, γράφω, παρατίλλομαι, λογίζομαι.

Nam hoc est eorum qui nihil agendo cruciantur, τῶν διὰ τὴν ἀπραξίαν ἀλυόντων, καὶ τὸν χρόνον εἰς ἀμηχανίαν δαπανώντων. *Cujus verum ibi characterem dedit Comicus. Sed hic* παρατιλμὸς *quem intelligit, est meretricularum, Athenis usitatissimus: de quibus hic agit Poëta. Vnde subdit Arnobius: Quid*

Erechteo

Erechteo sati, qvid cives Minervii dicitis? Avet animus scire, qvibus sitis eloqviis tam periculosa negocia defensuri. Et Svidas notat, in deliciis fuisse id Atheniensibus antiqvis: cæterum inverecundæ mulieris esse notam. Sane mulieres apud Comicum Lysistrate, hoc remedium excogitant, ut viros in partes pertrahant suas. Baubo autem erat γηγενής, h.e. Atheniensium progeneratrix. Si qvis plura petit à nobis, injuriam pudori nostro facit. Qvamqvam poteram Arnobianis verbis hoc negocio defungi, qvi hoc multis admodum describit, & levigationem vocat. Nunqvam autem nefas arbitratus sum, cum iis loqvi, ad qvorum mores, non Oratio & verba modo, sed & vita componenda est. Seqvitur παιδήιος ἄνθος. Verecunde ostendit Orpheus, qvalis iste τύπος οὐδὲ πρέπων λέγεσθαι fuerit: ἄνθος, inqvit παιδήιος. Hoc interpretatur Arnobius, *Puerilis ollis, vultus erat.* Vterq; honeste de re parum honesta. Sicut Latini Pubem dicunt. Et ita hoc ipsum de qvo agimus Arnobius vocat. *Atqve Pubi affigit oculos Diva.* διὰ τὸν παρατιλμὸν, nam hoc in anu turpe ac inverecundum erat. Puerum autem intelligit Arnobius, cui prima circa genas aut alibi emergit Pubes. Et Orpheo παῖς est βαυβοῦς. Cujus λα[illegible]νην ad excutiendum risum, Baubo scilicet expresserat. Eam promiscue etiam Græci ἥβην, i.e. Pubem, & ἄνθος, h.e. florem dicunt. Homerus vocem utramq; & qva utitur Arnobius, pariter conjunxit. Καὶ δ' ἔχει ἥβης ἄνθος, ὅ, τε κάρτιστον ἐστὶ μέγιστον. Hinc ἀνθερεὼν in viris, pars illa dicitur in facie, in qva nascitur τὸ ἄνθος. Atq; idcirco Euphorion à Criticis notatur, qvi fœminæ ἀνθερεῶνα tribuerat.

Τέκνον, μὴ σύγε μητρὸς ἀπ' ἀνθερεῶνας ἀμήσῃς.

Erant enim verba Clytemnestræ ἐν τοῖς Ἀτάκτοις ad Orestem. Παιδήιον, autem dicitur, ut ab eodem alibi αντήιον, qvod pueri non nesciunt. Qvem Arnobius hic vocat *Vultum puerilem*, supra vocat *pueriliorem habitum*, in re eadem. Pro

quo nunc legitur: facit ſumere habitum puriorem, & in ſpeciem levigari nondum duri atq; ſtriculi puſionis. Nam quæcunque verſu dicit, eadem omnia ante ſoluta dixerat Oratione. Et ſane, puer nondum ſtriculus, ſi Latine intelligimus, eſt inveſtis puer, quem pueriliorem habitum vocat doctiſſimus Scriptor. In Arnobii tertio, ſcribe,

Quas cava ſuccutiens Baubus manu. nam &c.

Perit enim τὸ κακέμφατον, *quod alias auctores vitant, in poſtremis vocibus. quia ultima liqveſcit, more antiqvorum. Et oſtendit, Orphei* μὶν, *eo referendum eſſe quo τὸ qvas. ad* παιδήϊον *nimirum* ἄνθος. *Porro* ῥιπιάσκειν *dixit Orpheus, quod Arnobius ſuccutere, plaudere, contrectare. Et legendum eſt* Βαυβώ. *In qvarto non eſt dubium qvin fuerit* ἡ ἐπεὶ ὄν, *qvod eſt* ἠπίη ὤν. *Arnobius ſvaviſſime mollita exponit.* Ἠπίως *enim eſt* πράως, *teſte Hesychio. Atqvi* ἡ πραότης *iræ opponitur, &* περὶ ὀργὴν μεσότης *Nicomachiorum ſecundo dicitur. Talis autem erat Ceres, irata nempe, propter injuriam illatam, non modo triſtis ob calamitatem. Hæc in gratiam doctorum aliqvot Virorum libuit, qvi ſententiam de his duobus locis ſæpe qvæſiverunt noſtram.*

BAKXIKA.

CLEMENS ALEXANDRINUS.

Admon. ad Gentes.

Κῶνος, καὶ ῥόμβος, καὶ παίγνια καμπεσίγυια
Μῆλά τε χρύσεα καλὰ παρ' ἑσπερίδων λιγυφώνων.

Pinea nux, trochus, & qvi flectunt membra moventqve
Ludi, & quæ Heſperides miſerunt aurea mala.

Omne *Sacrorum Dionyſiacorum*, ab Orpheo inſtitutorum, Fundamentum, ſeqventi nititur Arcano & Sacro Sermone: DIONYSIVS, cum admodum Puer eſſet, a Titanibus, exhibitis ſibi certis & variis, qvibus illa ætas plurimum capitur, ludicris, occupatus; miſere laniatur & diſcerpitur: Membra ejus ita laniata, immites iſti Fratres primum aqva coxerunt: mox igni admoverunt, ſibiq; aſſas dapes inde pararunt. Jupiter, nidore harum excitatus, re animadverſa, Titanes fulminat: membra verò Dionyſii, Fratri ejus, Apollini, ſepelienda comittit: qvo peracto, Dionyſius, (cujus Cor, in ipſa Laniatione a Pallade ſurreptum, asſervabatur tantiſper) nova παλιγγενεσίᾳ rurſus emerſit, priſtinæqve vitæ & integritati redditus, Deorum Numerum deinceps implet. Ad hunc Arcanum Sermonem, Ceremoniis qvoqve & Externis Signis aut Symbolis exprimendum, Sacra iſta Bacchica inſtituta ſunt: qvæ non tantum ipſis Ceremoniis & Ritibus, ſed etiam iis, qvæ in hoc Fragmento recenſentur Symbolis, Sacrorum iſtorum Myſtæ, in ſolemni Feſti celebritate, ita expreſſerunt. Nunc, an hæc Narratio cum ſuis Sacris, e Sacrario Sapientiæ, ad Nutricum cunas eliminanda; an vero, ut *Proclus* ait, θαυμασμοῦ ἄξια τοῖς σοφοῖς in ſe contineat; & qvæ nam illa ſint; diſpiciemus. Qvod, ut diſtinctius & dilucidius fieri poſſit; qvid ſingulis hiſce Deorum Nominibus, veri & ſolidi ſubſit; ante exponendum erit. *Animam* illam *Mundi*, qvæ ab ſum-

ſummo illo Ente, qvod τ' Ἀγαθὸν dixere, τῷ Λόγῳ ſubdita & ſubjecta eſt; Ζῆνα, ſ. JOVEM appellatam fuiſſe; jam alibi docuimus. Illa autem Facultas hujus Animæ Mundanæ, qva ὕλην, ſeu *Materiam* vegetat; DIONYSIVS eſt. Qvem inde νοῦν ὑλικόν dixerunt Sapientes. TITANES, *Dæmones* ſunt: Naturæ, ex Veterum opinione, ſubminiſtrantes: qvi ſuo miniſterio, Rerum Species, ex illo Naturæ Theſauro promunt, & ad ſingula generando déducunt. PALLAS, Jovis, ſeu Animæ Mundanæ, eſt *Providentia*. APOLLO, Dionyſii Frater, *Mens Cœli* (ſedis & domicilii immobilis Deorum & Animarum) πάσης Ἁρμονίας, καὶ ἑνόσεως Auctor, ἐν τῇ δημιουργικῇ τάξει θεῶν; inter κοσμοκράτορας autem, *Sol* eſt. Nunc, qvid his ſingulis Fabuloſa Narratio tribuat, attendemus: ut inde Arcanorum horum omnes receſſus, omnibus pateant. Nihil notius eſt, qvam qvid de *Morte Animarum*, veteres Philoſophi, ductu & auſpiciis Orphei, tradidere: Nempe, tum demum omnem Animam mori; qvando ex ſumma libertatis & Vitæ ſuæ Arce, paulatim delabendo, Materiæ, & Corporis Carceri mancipatur. Vnde δέμας, Corpus, h. e. *Vinculum*, & σῶμα, ex Orphei Sententia, qvaſi σῆμα, *Monumentum* Animæ dictum. Hoc *Mortem Animæ* dixerunt. *Diſcerpi* autem & *lacerari* Animam, dixere; cum eadem, quæ ſua Natura Individua eſt, per ſuam ὕλην, ejusqve membra, dividitur & diffunditur. Qvo ſenſu in *Timæo*, ubi de Animæ Mundanæ Fabrica loqvitur, definit eam *Plato*: *Eſſentiam Individuam, eandemqve Dividuam*. Jam vero hic *Dionyſius*, νοῦς iſte ὑλικὸς, diſcerpitur & interimitur a *Titanibus*, i. e. a Dœmonibus in Materiam attrahitur, & in ſingulas ejus partes dividitur & diſtribuitur. (Vnde Clemens Alexandrinus, alicubi, hunc dubio procul Librum Orphei in animo habens, eum à potiore hoc Argumento, non ſub Titulo τῶν Βακχικῶν; ſed ΤΟΥ ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΑΦΑΝΙΣΜΟΥ allegat.) Allicitur autem, & ſecurior prius redditur, oſtenſis ei variis ludicris: Qvo ipſo innuitur Animæ illius *Appetentia corporis*, & latens deſiderium, qvo ab altiſſima illa & perpetua luce collu-

ſtrata

ſtrata ſpecula, Corpus deſpiciens, erga ipſum corpus afficitur. Hac igitur techna allectus Dionyſius iſte; *in Materiam ſeſe demittit* & ita *laniatur & moritur.* Ejus Membra, Aqvis immerguntur a Titanibus, i.e. τῇ ὕλῃ, (qvam primam Materiam, Aqvam fuiſſe, ex Veterum Opinione, conſtat) a Dœmonibus, Naturæ Præfectis & Vicariis, penitus immergitur: & vitali calore, corporibus copulata nunc Anima μερικὴ, & una cum ſuo corpore, cui vitam dat, vivens & calens, *Animæ Mundanæ*, ſeu Jovis Patris, Curam & *Providentiam* erga ſe provocat. Qvi ipſos Titanas, i.e. Dæmones *fulminat*, i. e. *ad alta convertit*, de qvo alias. Ipſa autem Membra hujus Dionyſii, *Apollini* ſepelienda committit: nempe, ut hic Fons Vitæ, has disjectas & diſſipatas, ut ita dicam, Animas μερικὰς, qvas tanqvam partes Animæ Mundanæ conſiderare poſſis, poſtqvam miniſterio ſuo in Materia aut Corpore, functæ ſunt; vitali ſua virtute colligat, ſuoqve Toti, i.e. Naturæ ipſi, fovendas ſibiqve ipſi uniendas reſtituat. Vel potius, qvia hic Deus, συνάγειν καὶ ἁρμόζειν, καὶ ἑνίζειν τὰ μερισθέντα, τῶν ὅλων, atq; ut Proclus ait, ἐναρμονίως πάντα πλειῶν credebatur, quæ, per διονυσιακὸν σπαραγμὸν diſtributa varie, & qvaſi diſperſa ante fuerant, qvo Vniverſum in ſua Vnitate permaneat; ut hic Apollo iſta, ut ita dicam, Animæ Mundanæ, (qvæ in ſuprema τάξει Supra cœleſtium Deorum collocabatur) Effluvia, in infimas ὕλης partes præcipitata, nihilominus ſua virtute intra primi fontis ambitum contineat, & illuc qvaſi reducat, ne qvicqvam inde excidat. Cujus tamen Dionyſii Cor, i.e. Νοῦν ἐγκόσμιον, & ita nobiliſſimam ejus Partem, jam ante Pallas, i. e. Animæ Mundanæ Providentia, ſartum tectum conſervaverat. Ex qva Reſtitutione, & iterata, cum ſua Origine, Vnione; hic diſcerptus antea Dionyſius, *renaſcitur:* & iſtam, qvæ in Fabula adumbratur, παλιγγενεσίαν experitur. Innuebant itaqve hæc Sacra & Arcana Myſteria, nihil aliud, qvam *totius hujus Vniverſi Conſtitutionem, Vitam, Vitæq; hujus omnem, ut ita dicam, Dependentiam, Proceſſum, Ordinem & Rationem.* Vt adeo non immerito maximis hæc annumerata

merata ſint Myſteriis. Vt pote a qvibus, omnis circa Vniverſi Naturam Sapientia, dependeat. Sed ne Noſtræ qvidem *Animæ, Humanæ*, deſcenſus & defluxus in noſtra Corpora, hic prorſus exulat: ut qvæ eodem modo, ac illa, a ſumma Cœli Arce, in hæc inferiora, per varios caſus, crebra mutatione, ex Veterum Sententia, devolvitur: nec minus etiam, poſt peracta in corpore munia, eo fatiscente, animamqve ſuam deſerente, antiqvis ſedibus ſuis, cœleſti habitaculo, redditur. Nam & harum primam & originariam ſedem in cœlo, & qvidem in ea, qvam *Lacteam Viam* vocamus, decernunt. Inde, ſi qvæ anima, Appetentiam corporis, & hujus, qvam in terris vitam vocamus, ab illa ſpecula altiſſima & perpetua luce colluſtrata, deſpiciens, deſiderio latenti cogitaverit; pondere ipſo terrenæ cogitationis, paulatim in inferiora delabitur; ſed ſenſim, per tacita detrimenta, & longiorem, ſimplicis & abſolutiſſimæ puritatis, receſſum, in qvædam ſiderei corporis incrementa turgeſcit: in ſingulis enim Sphæris, qvæ cœlo ſubjectæ ſunt, ætherea obvolutione veſtitur; ut per eas gradatim Societati hujus indumenti teſtei concilietur: & ideo totidem mortibus, qvot Sphæras tranſit, ad hanc pervenit, qvæ in terris vita vocitatur. Verba ſunt *Macrobii* Lib. I. in Somn. Scip. c. XI. Sed & hæc, ut illa, in contactu iſto corporeo, ſuam patitur ἄμυξιν: dum, ſicut illa per Mundi, ita hæc per Hominis membra diffunditur. Nec expers eſt illius tumultus ebullientis aqvæ, dum in hac ſua cum corpore unione, qvin jam à primo illo lapſu, tumultum ὑλικὸν, i. e. influentem ſibi materiam, experitur. Qvam animæ alterationem, ex hoc novo contactu ortam, *Ebrietati* comparat, in Phædone, *Plato:* dum animam in corpus trahi, nova ebrietate trepidantem, docet. Volens, ut *Macrobius* ait, novum potum materialis alluvionis intelligi: qvo delibuta & gravata, deducitur. Sed & hujus *Cor*, i. e. *purior Eſſentia*, Νᾶς θεῖ☉, a Pallade, Generali illa Animæ Mundi Providentia, incolume ſervatur: & *Capitis humani*, qvod ob id ipſum *teres & rotundum* Natura formavit, Sacrario, tantiſper reponi-

ponitur; donec proſtrato & deleto cœlitus corpore; ubi meruerit, contagione vitiorum penitus elimata, purgari; ad perennis vitæ lucem reſtituta, in integrum, & per *Capricorni* portam (qvæ Deorum vocatur, oppoſitaq; eſt illi alteri *Cancri*, per qvam animæ excidunt, & in inferiora deſcendunt) in propriæ immortalitatis ſedem, & in Deorum Numerum, revertitur. Hoc iſthæc Sacra recondunt, hoc Fabula occultat. Hoc etiam *Symbola* iſta *Arcana*, qvæ in Fragmento recenſentur; docent & innuunt. In iſtis, primo κῶνος apparet: qvem *Nucem Pineam*, alii *Strobylum* interpretantur. Qvi Fructus nomen hoc invenit, a Figura, qvam exprimit, κωνοειδῆ. Vnde ipſa etiam arbor, qvæ πεύκη dicitur, nonnunqvam κῶνος vocatur, ob eandem Figuram, in qvam creſcit. Jam vero, ipſi illi, qvi eum, de qvo egimus, Animarum deſcenſum docuere; hoc qvoqve addidere: Animam, ex ſua ſede, per confinia, qvo ſe Zodiacus, Lacteusqve circulus contingunt, deſcendentem; a priſtina ſua forma *Rotunda*, qvæ ſola divina eſt, in *Conum* defluendo produci. Adduntqve rationem: non aliter fieri, qvam ſicut à puncto naſcitur linea; & in longum, ex individuo, procedit: ibiqve a puncto ſuo, qvod eſt Monas, venit in Dyadem: qvæ prima protractio eſt. Qvo autem Symbolo iſtud melius & occultius ſimul occultare potuiſſent, priſci illi Sapientes; qvam hoc ipſo κώνῳ, qvem in his Sacris adhibuere? Alterum Symbolum, eſt ῥόμβος; *Rota* aut *Sphæra*. Qvo, vel ipſum hunc cœlitus decurſum Animæ, vel Sphæras iſtas cœleſtes, per qvas ſenſim & paulatim deſcendit; manifeſte innuitur. Adduntur his Παίγνια καμπεσίγυια; *Ludicra*, *membra flectentia*. qvibus ipſa corpora, ab anima vegetata & viva, ſeſeq; moventia, exprimi; nemini dubium eſſe poteſt. Παίγνια autem καμπεσίγυια iſta, non *Puppas* qvasdam, ſed Ἀςραγάλυς, *Clemens Alexandrinus*, in Protreptico, fuiſſe ait. Ἀςράγαλος autem, ut notum eſt, eſt oſſiculum illud prope qvadratum, intra infimos tibiæ proceſſus incluſum, qvod Latinis *Talus* dicitur: qvoqve mediante pedes animantium, τῶν διχήλων poſteriores, flectuntur.

tur. Qvibus Ἀστραγάλοις, imprimis ex Ovium, aut, qvibus delicatiores delectabantur, Damarum & Dorcadum cruribus deſumtis, in Alea & Luſu uſos fuiſſe; nemini ignoratur. Jam vero, primigeniam, ut ita dicam, & originalem Animæ figuram, ſimul & eſſentiam, qvo Symbolo corporeo elegantius & ingenioſius innuere poterant; qvam *Aureis Malis*, iſtis? qvæ & Rotunda ſunt, & ſuo ad Aurum proxime accedente Colore, ipſam Animæ connatam & eſſentialem Lucem, ſatis indicant? His deniqve *Clemens*, citato Libro, addit Ἔσοπτρον, *Speculum*, & Πόκος, *Vellus*. Et Speculum qvidem iſtud, Vulcanum fabricaſſe Dionyſio, fabula tradit; in qvod ille intuens, propriamqve ſpeciem in illo admirans, ſpacium dederit Titanibus, conſilium ſuum exſeqvendi, eumqve occupandi, & dicto jam modo laniandi. Per qvod Speculum innuitur ſuprema & λειοτάτη pars τῆς ὕλης, qvæ, cum craſſius & obſcurius Materiæ corpus ſibi ſubjectum habeat, ſuperne autem τῇ αἴγλῃ τῶν ὑπερκοσμίων illuſtretur; non alio commodius Symbolo ſuperficies iſta extrema τῆς ὕλης, adumbrari potuit, qvam Speculo qvopiam. Qva ſpecie illectus Νοῦς iſte ὑλικὸς & captus, ſeſe qvoqve capiendum Titanibus facile præbuit. Ut adeo ex Procli Sententia, illa λειότης, ἄκρας ἐπιτηδειότητός ἐστι σημαντικὴ, δι᾽ ἧς δέχεσθαι δύναται τὸ πᾶν, τὰς ἀπὸ τοῦ καὶ ψυχῆς ἐλλάμψεις, ὥσπερ δὴ καὶ τὰ ἔσοπτρα τὰς ἐμφάσεις ὑποδέχεται κατὰ τὴν πλειότητα τὴν ἑαυτῶν. A Vulcano autem fabricatum iſtud Speculum voluerunt; Qvia hic Deus credebatur δημιουργὸς τῆς σωματοειδοῦς ἁπάσης συστάσεως, τάς τε ἐμφανεῖς ἕδρας προευτρεπίζων τοῖς θεοῖς καὶ πάντα εἰς τὴν μίαν ἁρμονίαν τοῦ κόσμου πληρῶν, ζωῆς τε πάντα τὰ δημιουργήματα πληρῶν σωματικῆς, καὶ τὸ ἀντίτυπον τῆς ὕλης καὶ παχὺ διακοσμῶν, καὶ συνέχων τοῖς εἴδεσιν. De Πόκῳ autem nunc mox agemus, ubi Myſticum & Sacrum Dionyſii Amictum, expoſituri ſumus. Et hæc ſunt, qvæ ex Orphei inſtituto, Myſticam Jacchi Vannum replebant; qvibus lapſu temporum plura acceſſiſſe, non minus ingenioſa & recondita, ejuſdem Rei Symbola, haud ignoramus. Sed ſatis de his.

MACRO-

MACROBIVS LIBRO I. SATVRNAL. Cap. VIII.

Ταῦτα γε πάντα πλεῖν ἱερᾶ σκευῇ πυκάσαντα
Σῶμα θεῦ πλάτ]ειν ἐριαυγῦς ἠελίοιο.
Πρῶτα μὲν ἀργυφέαις ἐναλίγκιον ἀκτίνεσσιν
Πέπλον φοινίκεον πυριίκελον ἀμφιβαλέσθαι.
Αὐτὰρ ὕπερθε νεβροῖο παναιόλυ εὐρὺ καθᾶψαι
Δέρμα πλυστικτον θηρὸς κατὰ δεξιὸν ὦμον,
Ἄστρων δαιδαλέων μίμημ' ἱερῦ τε πόλοιο.
Εἶτα δ' ὕπερθε νεβρῆς χρύσεον ζωστῆρα βαλέσθαι.
Παμφανόωντα πέριξ στέρνων φορέειν μέγα σῆμα
Εὐθὺς ὅτ' ἐκ περάτων γαίης Φαέθων ἀνορῦσων
Χρυσείαις ἀκτῖσι βάλῃ ῥόον ὠκεανοῖο,
Αὐγὴ δ' ἄσπετ☉ ᾖ, ἀνὰ ἣ δρόσῳ ἀμφιμιγεῖσα
Μαρμαίρῃ δίνῃσιν ἑλισσομένη κατὰ κύκλον,
Πρόσθε θεῦ· ζώνη δ' ἄρ' ὑπὸ στέρνων ἀμετρήτων
Φαίνετ' ἄρ' ὠκεανῦ κύκλ☉, μέγα θαῦμ' ἐσιδέσθαι.

Hæc omnia autem facienda ſunt, ſacro apparatu, inſtruenti
Corpus Dei ſingere, longe radiantis Solis.
Primum quidem, albicantibus ſimilem radiis
Peplum rutilum, igni ſimilem, induere.
At inſuper, Hinnuli variegati latam ſpacioſam adaptare
Pellem, maculoſam, feræ, ad dextrum humerum:
Aſtrorum mirandorum in ſpeciem, & ſancti Poli.
Deinde ſuper Hinnuleam, aureum cingulum injicere
Splendidum, quod in pectore geratur: in magnũ ſignum;
Quomodo, ſubito ab ultima terra, Sol oriens
Aureis radiis, ſternat fluxum Oceani;

Splendor autem immensus sit, roreque permistus,
Splendeat vorticibus, in circulum volutus
Ante Deum. Zona autem, sub Pectore immenso,
Fulget, Oceani circulus. Visu mirabile monstrum.

Et Argumentum hujus carminis, & is, qvi nobis illud servavit, satis indicant, ex qvo istud olim desumtum sit Libro: neqve nos errasse, qvi id ad τὰ Βακχικὰ Orphei retulimus. Præscribitur inibi *Sacer Habitus*, qvo is indutus esse deberet, qvi in Τελεταῖς τοῦ Βάκχου, seu Διονύσου, solemni Θρονισμῷ initiandus Deo esset. Θρονισμοὶ autem, seu Θρονίσεις istæ erant; cum in Sacris Deorum, is, qvi Initiandus Sacris erat; sacro & mystico Ornatu indutus, (Qvos Ornatus, ad varia Sacra reqvisitos & necessarios, docuit olim Libellus peculiaris, ΚΑΤΑΖΩΣΤΙΚΟΝ inscriptus, Orpheoqve apud Svidam attributus) solemni ritu, Solio imponebatur: dum interim reliqvi Mystæ, circa Solium choreas & tripudia agebant. Ad qvas Saltationes in θρονισμοῖς usitatas, respicere videtur *Auctor*, qvi *Pindari Vitam* Carmine Heroico conscripsit: qvi, in recensione Operum Pindari, ait eum scripsisse Μέλος Ὀρχηθμοῖσι: cum *Svidas* testetur, Pindarum Θρονισμοὺς scripsisse: ad qvos illi Ὀρχηθμοὶ referendi. Habitus autem iste, qvem hic noster flagitat, *Solis* speciem, qvantum præsenti re fieri potest, effigiare & exprimere debet. Vnde *Peplus rutilus & flammeus* reqviritur, qvem hic Auctor Φοινίκερον (puto legendum φοινίκεον) vocat: ad igneum Solaris corporis, & flammivomum globum, significandum. Deinde *Hinnuli Pellis*, suis *maculis* distincta: qvæ maculæ, Astrorum dispersas & distinctas stellas indicarent. Pellis autem ipsa, Extensionis ipsius, immensorum Cœli tractuum, Symbolum esset. Qvibus deniqve accedebat *Cingulum*, seu *Zona Aurea*, cujus fulgor, cum Pepli rutilo & flammeo splendore mixtus; eam speciem repræsentaret; qvâ Sol Oriens, radiis per roscidum aëra trajectis, oceanum, & subjectas aqvas inficere & colorare solet. Ipse autem circulus iste aureus, *Oceani* Symbolum

lum erat: qvi ob id præcipuè huc assumtus videtur; qvod Stellæ, μεγάλȣ hujus ἡγεμῶν@- ὀπαδοὶ, & Ipse etiam, Nutrimentum suum potissimum inde haurire & habere olim credebantur. Qvod Sapienter *Homerus* qvoqve innuit: dum Oceanum Soli, (qvi ex mente Cornificii, sub *Jovis* appellatione inibi latet) dapes ministrare fingit: Iliad. A.

Ζεὺς γὰρ ἐς ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα, θεοὶ ἅμα πάντες, (i.e. *Stellæ.*) ἕποντο.

Qvid autem *Soli* cum *Baccho* seu Διονύσῳ? Nempe, Speciem, Majestatem, Vim & Beneficia hujus Sideris comtemplantes antiqvi; omnibus id aliis in Vniverso rebus, longe prætulerunt: & tanqvam præsentem & conspicuum Deum, cujus virtutem, omnia, qvæ usqvam, in universa rerum Natura continentur corpora, unice experiantur: & ex hoc *Fonte*, motum, vitam, spiritum, habeant; venerati sunt. Vnde non tantum *Terrenæ Fœcunditatis*, sed etiam *Omnium vitæ Auctor*, *Mundi Caput*, *Rerumqve Sator*, *Dux & Princeps reliqvorum & Moderator Luminum*: *Ætherei ignis fons*, & imprimis, *Nascentis Hominis Dæmon*: qvin *Temperatio Mundi*, *Cor Cœli*, & *Mens Mundi*, passim apud Antiqvos laudatur, & Proclus, Lib. V. in Timæum Platonis, Orphei verbis docet, ὅτι ἥλιον μὲν ἐπέςησε τοῖς ὅλοις, ὁ δημιȣργὸς, καὶ φύλακα αὐτὸν ἔτευξε, κέλευσέ τε πᾶσιν ἀνάσσειν. Jam vero Dionysius, apud Orpheum, ejusqve Sectatores, nihil aliud est, qvam illa Animæ Mundanæ facultas, qva Materia vegetatur, movetur & vivit. Qvam proinde facultatem, ipsi illi Orphici Νȣ̃ν ὑλικὸν appellarunt: qvæ appellatio proxime convenit cum ea, qva Solem qvoqve *Mentem Mundi* dixerunt.

DIODORVS SICVLVS. Lib. I.

Τȣ̃νεκά μιν καλέȣσι Φάνητά τε καὶ Διόνυσον.
Idcirco vocant eum Phaneta & Dionysum.

MACRO-

MACROBIVS. LIB. I. SATVRNAL.
Cap. XVII.

Πατρὸς ἔχοντα νόον, καὶ ἐπίφρονα βουλήν.
Patris habentem Mentem, & sapiens Consilium.

MACROBIVS LIB. I. SATVRN.
Cap. XVIII.

Ἥλιος, ὃν Διόνυσον ἐπίκλησιν καλέουσιν.
Sol, quem Dionysium cognomine vocant.

JVSTINVS MARTYR. Cohortat. ad Gentes.

Εἷς Ζεὺς, εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἥλιος, εἷς Διόνυσος,
Εἷς Θεὸς ἐν πάντεσσι· τί σοι δίχα ταῦτ' ἀγορεύω.

Joh. Lango. interprete:

Jupiter est unus, Pluto unus, Bacchus & unus
Vnus Sol; Deus in omnibus. Ista seorsim
Quid Tibi commemorem?

Qvas hactenus Divinitatis Virtutes, secundum diversos & distinctos Actus & Beneficia, diversis qvoqve Nominibus, celebravit Orpheus; easdem nunc in his Fragmentis adductis, omnes in suum *Centrum* reducit, &, ut in idem Divinitatis Punctum, unde effluxerunt, remeent; docet. Hoc autem ea ratione fit: *Deus*, τ' Ἀγαθὸν, qvi prima omnium Causa est, Princeps & Origo omnium, qvæ sunt, & qvæ videntur esse; superabundante Majestatis fœcunditate, de se Mentem creavit: Hæc *Mens*, qvæ Νοῦς vocatur, qva Patrem inspicit, plenam similitudinem servat auctoris: Creat autem de se *Animam Mundi*, posteriora, i. e. qvæcunqve extra Deum nunc esse deprenduntur, respiciens. Hæc Anima, qvæ suam Originem, τὸν Νοῦν ab altera tantum parte, ea

te, ea postica scilicet, qva ipsa prodiit, respicere valet; illam partem induit: ac rursus, paulatim regrediente respectu, in fabricam corporum, qvod Naturæ est; in corpora ipsa degenerat, & fit *Materia.* Vnde videmus, Ζῆνα, *Animam Mundi*: Διόνυσον, *Naturam*, νῦν ὑλικὸν, Ἥλιον, *Sedem Animæ Mundanæ*, Naturæ ταμεῖον & Receptaculum; Lucis, i.e. Animæ, Fontem, Mundi Mentem, Cor Cœli, ad Vnum idemqve reduci: &, si ulterius adscendere placeat; ut alias Anima, Menti; Mens, Deo subjungitur; ita hoc qvoqve, qvod modo diximus, Animam scilicet Mundi, Menti isti τῷ ἀρχετύπῳ, ita cognatam esse deprehendemus; ut τὸ ἀρχέτυπον ipsum τ' Ἀγαθὸν contingit. Vnde non male ab Orpheo dictum:

Εἷς Ζεὺς, εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἥλιος, εἷς Διόνυσος.

Nisi qvod ὁ Ἀΐδης tenebras qvasdam hactenus offundere videri possit. Sed & has discutiemus. *Ditem*, seu Ἅδην, *Inferorum Regem* dictum, *Jovem Infernum;* constat. Vbi locorum autem hæc *Ditis Regio* qværenda sit; de hoc ità docuerunt antiqvi. Mundum universum, dicunt, dividendum esse in duas qvasi partes; qvarum altera Agit, altera Patitur. Qvæ agit, pars, illa in se est immutabilis: alteri tamen caussas & necessitatem permutationis imponit: Quæ patitur, per Mutationes variatur. Jam vero illa sublimior Pars Mundi, quæ a Sphæra, qvæ Ἀπλανὴς vocatur, inchoat, & ad *Lunarem usqve Orbem* exporrigitur; est *Pars Mundi Agens.* Reliqva, a *Sphæra Lunæ; usqve ad Globum Terræ* distenta pars mundi: *Patiens Pars est Mundi.* Qvam, *Locum Mortis & Inferorum*, ideo dixere; qvod Animæ, Cœlo delapsæ, si in hoc Spacium pervenerint; jam ipsæ Morti immergi & sepeliri, ut paulo ante diximus, credebantur. Igitur *Mundus hic Elementaris*, Spacium intra Lunæ Orbem & Terram,(unde Luna, Vitæ & Mortis confinium, dicta) *Ditis est Regio*, *Inferorum claustrum*, *Mortis domicilium,*

lium, *Dis*, Ἅδης, *Pluto*. Ex qvo facile colligi poteſt, qvo ſenſu Ἅδης, idem cum reliqvis Naturæ, aut Animæ Mundanæ, aut deniqve, Ipſius Dei Nominibus & Numinibus cenſendus ſit. Nec *Primi*, ex his, Fragmenti ſenſus, obſcurus eſſe poteſt: qvod de Dionyſio dicatur, πατρὸς ἔχειν νόον, καὶ ἐπίφρονα βουλήν; cum Anima Mundi, Dionyſii Pater, tam qvoad νοῦν, qvam qvoad τὴν βουλὴν, nihil jam à Filio differat.

MACROBIVS SATVRNAL. LIB. I.
Cap. XVIII.

Τήκων αἰθέρα δῖον, ἀκίνητον πρὶν ἐόντα
Ἐξανέφηνε θεοῖς ὥραν κάλλιστον ἰδέσθαι,
Ὃν δὴ νῦν καλέουσι Φάνητά τε καὶ Διόνυσον,
Εὐβουλῆά τ' ἄνακτα, καὶ ἀνταύγην ἀρίδηλον.
Ἄλλοι δ' ἄλλο καλοῦσιν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων.
Πρῶτος δ' ἐς φάος ἦλθε, Διόνυσος δ' ἐπεκλήθη,
Οὕνεκα δινεῖται κατ' ἀπείρονα μακρὸν ὄλυμπον,
Ἀλλαχθεὶς δ' ὄνομ' ἔχε προσωνυμίας πρὸς ἕκαστον
Παντοδαπὰς κατὰ καιρὸν ἀμειβομένοιο χρόνοιο.

(1) Liqvefaciens æthera divũ, immotum antea exiſtentem,
Oſtendit inde Divis Formam adſpectu pulcherrimam.
Qvem nunc vocant Phaneta (2) & Dionyſium
(3) Boniq; Conſilii Regem, & Reſplendentem ſūme conſpicuũ.
Alii vero aliter eum vocant, terræ incolarum hominum.
Primus autem in lucem prodiit, Dionyſiusqve inſuper vocatur,
Qvoniam circumfertur per immenſum magnum Olympum.
Mutatus autem Nomine, habet appellationes ab uno qvoqve
Varias, ſecundũ tempeſtates (4) in vices redeuntis temporis.

Hæc,

Hæc, cum ex jam dictis facile intelligi possunt: levioribus solum stricturis, Lectorem monebimus. (1.) ὁ νοῦς. (2.) *Naturam in Sole.* Φάνης dicitur ἀπὸ τοῦ φωτὸς, καὶ φανεροῦ, i. e. *a Lumine atqve Illuminatione*: qvia cunctis visitur, cuncta conspiciens. *Dionysos*, ut ipse Vates ait, ἀπὸ τοῦ δινεῖσθαι καὶ περιφέρεσθαι, i. e. *qvod circumferatur in ambitum.* Vnde *Cleanthes* ita cognominatum scribit ἀπὸ τοῦ διανύσαι, qvia qvotidiano impetu ab Oriente ad Occasum, Diem Noctemqve faciendo, cœli conficit cursum. Physici, Διόνυσον, Διὸς νοῦν, qvia Solem, Mundi Mentem esse dixerunt. *Macrobius*. (3.) τὸ, εὐβουλῆα, *Boni Consilii* hunc Deum *Præstitem* monstrat. Nam, si conceptu Mentis consilia nascuntur; Mundi autem Mentem, Solem esse opinantur Auctores, à qvo in homines manat Intelligendi Principium: merito Boni Consilii Solem Antistitem crediderunt. *Macrob.* (4.) vid. *Macrob.* Lib. I. Saturn. cap. XVII. seqq.

MACROBIVS. LIB. I. SATVRN. Cap. XXXIII.

Κέκλυθι τηλεπόρου δίνης ἑλικαυγέα κύκλον.
Οὐρανίαις στροφάλιγξι περίδρομον αἰὲν ἑλίσσων.
Ἄγλαε Ζεῦ Διόνυσε, πάτερ πόντου, πάτερ αἴης,
Ἥλιε παγγενέτορ, παναίολε, χρυσοφεγγές.

Audi spaciosi verticis rotunde splendentem circulum,
Cœlesti vertigine semper rotatum, volvens.
Splendide Jupiter Dionysie, Pater Ponti, Pater Terræ,
Sol omniparens, Omni-varie, Aureo splendore coruscans.

Precatio Theologorum priscorum in Sacris procunciata: Ἥλιε παντοκράτορ, κόσμου Πνεῦμα, κόσμου δύναμις, κόσμου φῶς. Eo sensu, qvo hactenus demonstravimus.

De *Inscriptione* & *Auctore* hujus Libri; qvoniam de Argumento jam ex dictis satis constare arbitror; tria verba adjicienda sunt:

da ſunt: Titulum ita concipit, qvi etiam eum nobis ſervavit; *Svidas:* Θρονισμοὶ Μητρῷοι καὶ Βακχικά. *Meurſius* vero, in Græcia Feriata, Scenæ ſuæ fortaſſis inſerviens; Tres nobis, ex Vno, Libros recenſet. Vnum, qvi Θρονισμοὶ, inſcriptus fuerit, & *Curetum* Sacra docuerit: *Secundum*, cujus Titulus eſſet, Μητρῷοι, (fortaſſe Λόγοι) & *Tertium* deniqve, Βακχικά. Sed Vnum duntaxat Librum, aut ſaltem Vnius Libri binas partes fuiſſe; qvi bina hæc & maxima Veterum Sacra tractaverit; & Ratio ſvadet: & manifeſta Svidæ Verba videntur docere. Qvæ proinde a *Porto* transferuntur: *Seſſiones Magnæ Deum Matris & Bacchica.* Tum deniqve, qvod *Arignote*, Pythagoræ, ſecundum qvosdam, Filia: aliis, Diſcipula tantum: qvæ idem Argumentum tractavit; Ambo etiam Sacra, Vni eidemqve Tractationi incluſerat; eiqve Libro *Bacchicorum* Titulum inſcripſerat. Qvi idem Liber, ab aliis Ἱερὸς Λόγος inſcribebatur. Teſtatur *Svidas*: Ἀριγνώτη συνέταξε τάδε, Βακχικά. ἔστι δὲ περὶ τῶν τῆς Δήμητρος μυστηρίων ἐπιγράμματα. γράφεται δὲ, καὶ Ἱερὸς Λόγος. Tandem, qvod genuinum, Hujus Noſtri, Auctorem attinet: annotat idem Svidas, a nonnullis ipſi illi antiqvo *Orpheo* adſcriptum: a qvibusdam vero *Niciam Eleaten*, pro vero Auctore habitum fuiſſe. Deniqve, qvod obiter hic adnotandum duco; *Pindarum* qvoq; Θρονισμοὺς καὶ Βακχικὰ ſcripſiſſe, idem Svidas docet.

ΚΟΡΥ-

ΚΟΡΥΒΑΝΤΙΚΟΝ.

ORpheo tale, & ſub hac Inſcriptione, Carmen, olim adſcriptum fuiſſe; teſtatur *Svidas*. Qvi *Brontinum*, a nonnullis, ejus genuinum Auctorem creditum fuiſſe, ibidem docet, in Ὀρφεὺς. Corybantum, iſtud Carmen, Sacra; in Samothrace & Lemno imprimis celebria, comprehendiſſe, nullum eſt dubium. Qvi Corybantes fuerint; Qvot, & Vnde; illud eſt, in qvo maxime Fabula ludit: qvæ videri poſſunt apud *Strabonem*, Lib. X. *Diodor. Siculum*, Lib. VI. *Apollonii Enarratorem*: aliosqve antiqvos paſſim. Ex qvibus *Gyraldus*, Syntagm. I. & *Rhodiginus*, Lib. XVI. ſua deſumſere. Sacra autem ipſa, religione & reverentia, Cereris illis & Bacchi, nihil inferiora: nec minus Philoſophis, aliisq; graviſſimis Viris veneranda & celebrata. Nec Argumenti dignitate & ſanctimonia, illis memoratis, ſi qvid video, inferiora. Vt enim Bacchica, *Mundi*; Cereris, *Hominis*, Vitam oſtendunt: Ita hæc, ipſam *Mundi Geneſin & Originem* docere, totiusqve κοσμοποιΐας rationem complecti; firmiter perſvaſus ſum. Qvod, cum ex communi Fabulæ traditione; tum paucis iſtis, qvæ de ipſis, Initiorum horum Sacrorum, Ceremoniis, ad nos delatæ ſunt, reliqviis; inventa ſemel ad hæc via; facile colligo. Narrat Fabula: *Rheam, Saturni Conjugem, cum Jovem utero geſtaret; appropinqvante partus tempore; in montem Idam ſeceſſiſſe: ibiqve puerum enixam, Corybantes ei appoſuiſſe: ut magno armorum ſtrepitu excitato, Saturnum fallerent; ne vagitum recens nati pueri audiret, & ad hunc qvoqve, ut cæteros priores natos, devorandum, acceleraret. Inde hos Corybantas, perpetuos deinceps Jovis Comites & Miniſtros fuiſſe conſtitutos.* Jam vero, ex Orphei, primorumqve in Græcia Sapientum, Sententia, *Æther*, *Chaos* & *Nox*, prima totius Vniverſi Principia, & Elementa conſtituuntur: Ex qvibus omnia, qvæ ſunt, in aſpectabili Mundo, prodierint & efformata ſint. Et *Æther* qvidem, Cœlorum Elementum,

ſummas & ſupremas partes occupans; ſuas ſibi res, Aſtra, & Superna illa, tenet. *Nox* per eruptionem τ̃ Φωτὸς, diſſipata & abolita eſt; in prima ſtatim Ætheris emerſione. *Chaos* vero, materiam Elementari huic Mundo præbuit: cujus partes, ſemel a primo illo Motore agitatæ, pro variis gravitatis, cœterarumqve inter ſe qvalitatum gradibus, paulatim ſubſidere, & a ſe invicem ſecerni cœpere. Donec ſingula, qvæ proprie & communiter ita dicuntur Elementa, ſedibus qvodqve ſuis occupatis; hanc, qvam cernimus, Mundi formam & ſpeciem efformarunt. Porro: his tribus Principiis communibus & generalibus, Orpheus inſuper præmittit Tempus: ὡς μέτρον, ut *Simplicius*, Lib. IV. Φυσικῶν ἀκροαμ. ait, τῆς μυθικῆς τ̃ θεῶν γενέσεως: qvod interpretari liceat, *omnis generationis Menſuram.* Nunc, Κρόνος iſte, (qvem Deum ſupra cœleſtem, mentalem excellentiam ſortitum, credebant) ex *Rhea*, Conjuge, (qvam Locum itidem ſupra cœleſtem dicebant) *Jovem*, (qvi in ſupernis Anima Mundi, in Elementaribus, Natura eſt) genuit. Qvi tumultuantibus interim, & in ſe invicem concurſantibus; rurſusqve a ſe invicem recedentibus, ſeſeqve ſeparantibus Corybantibus, Æthere, Chao & Nocte, (ita enim Corybantas interpretatur *Julianus*, Orat. V. τρεῖς ἀρχικὰς ὑποστάσεις) tacite emerſit: & Regimen ita, in Vniverſum, nunc ordinatum: qvod cum ipſo ſimul, juvantibus illis Fratribus, cœpit; occupavit. Æthere interim & Chao, ſibi perpetuo aſſiſtentibus: Per qvos, & in qvos ſimul, Imperium ſuum exercet: Abolito & deturbato antemundano iſto Tempore ſimul & Imperio. Atqve ita hoc *Vniverſum*, a Mente illa Δημιουργῷ producendum; veluti *Parentes* accepit, *Tempus* & *Locum*: in qvibus Originem ſuam inveniret. *Materia*, ex qva fieret, ſunt Τρεῖς iſtæ Ἀρχικαὶ Ὑποστάσεις: Æther, Nox, Chaos. *Modus*, qvo fieret; conſiſtit in vario Motu & Separatione trium horum Principiorum: dum Æther cum Chao & Nocte permixtus & agitatus, non ſine fragore & tumultu erupit: Noctem delevit: & ſupernas ſibi ſedes vindicavit. Chao interim

rim nondum qvieto: dum & in hoc, Elementa ſibi inviciem permixta, ſibi invicem incurſantia, occurſantia, arietantia; unumqvodqve ab alio ſecerni, ſuumqve ſibi proprium & peculiarem locum occupare nituntur. Donec tandem, ſub ipſo hoc tumultu, & dum ſingula paulatim in ſuum Ordinem rediguntur & in Mundum conformantur; ex ipſo illo Ordine, *Anima Mundi*, ſive *Natura*, tacite emerſit.

Eadem nunc, ut in Sacris ipſis Corybantum, per *Symbola*, *Ritus* & *Ceremonias* indicata & expreſſa fuerint; oſtendendum & explicandum eſſet. Sed adeo pauca & exigua, illorum, ad nos, pervenere; ut vix certi qvicqvam inde colligi & exſculpi poſſit. *Clemens* qvidem, *Arnobius* & *Minutius Felix*, ita mentionem horum Sacrorum faciunt; ut ſola illa attigiſſe videantur; qvibus ſe, maxime impia & abominanda ea, honeſtioribus mentibus, reddere poſſe credebant: cæteris aut neglectis, aut diſſimulatis. Ii itaqve nobis, tanqvam Ἱερὸν Λόγον, horum Sacrorum, tradiderunt illud: *Frater a Fratre occiſus: cujus caput, Olea coronatum, ſepeliebant Fratres ſuperſtites.* Quis ille *Frater occiſus* ſit, facile ex jam dictis colligi poteſt: Nimirum, *Nox* illa primigenia: quæ ab erumpente Æthere, disjecta & diſſipata eſt: aut in tartarum, & meditullium τῆς χάους, relegata & ita ſepulta. *Oliva* autem, vel *Pacem* denotat, qvam deinceps Principia illa & Elementa; conſtituto & ordinato, ſemel ita Vniverſo; inter ſe colunt: Vel adhibita eſt in Symbolum ineffabilis *Sapientiæ* τοῦ Δημιουργοῦ; qva ille hoc Vniverſum produxit, ordinavit, conſtituit. Hanc enim Sapientiæ Divinæ Symbolum eſſe, præter alios, *Porphyrius* qvoqve docet, in *Antro*.

ΠΕΠΛΟΣ

ΠΕΠΛΟΣ ΚΑΙ ΔΙΚΤΥΟΝ.

IN recenſitis & expoſitis hucusqve Sacris Myſteriis: Mundi Originem, ejusdem Vitam, Hominis deniqve, excellentem, cœleſtem Conditionem, adumbrantibus non ſolum, ſed & docentibus; nihil fere, niſi Pugnas, Cædes, Raptus; uno verbo; nil niſi Ἀντιθέσεις καὶ Ἐναντιώσεις, contemplati ſumus. Vt Lux & Tenebræ, Æther & Nox, cum Hujus exitio, pugnaverint; Elementa invicem contraria, poſt longam concertationem, non ſine ingenti Tumultu & Fragore commiſſam, in gratiam deniqve, emergente interim majore Poteſtate, redierint, & in κόσμον redacta fuerint; proxima Sacra docuerunt. Dionyſius, δευτέρας δημιουργίας προστάτης, Ἀΰλου excellentiæ Deus; ut a Titanibus, in contrarium ſibi elementum, τῆς ὕλης carcerem, detruſus & diſpertitus fuerit; & τὸν ἔνυλον κόσμον animandum coactus ita fuerit; ab his proxima Myſteria commonſtrarunt. Raptum cœleſtis Virginis, deplorandumqve e Cœlica Regione, Deorumqve commercio; in Ditis infernali clauſtro agendum & continuandum, ſæpe diu ſatis, Exilium; ſuæ libertati maxime repugnans: Qvin, a Vita perenni, in diram Mortem delapſum Animæ Humanæ: Prima, qvæ tractavimus, Sacrorum Myſteria, ante oculos poſuerunt. Nunc, qva Arte, qva interveniente Poteſtate, non ſolum hæ, ſed omnes omnino, qvotqvot ſunt in Vniverſo, qvæ ſane innumeræ ſunt, Ἐναντιώσεις & Ἀντιθέσεις ita invicem conciliari & ad concordiam redigi potuerint; ut collatis qvaſi viribus, unanimiqve conſenſu, perpetua deinceps pace pacta & firmata, Vnum Vniverſum: Idqve, qvo magis ex oppoſitis, contrariis, & repugnantibus conſtitutum; eo magis ſpecioſum & admirandum, conſtituerint; & ad æternam conciliantis & concinnantis gloriam exhibuerint: Præſentis Libri

Argu-

Argumentum docuit. Ἓν, Πλῆθος. Νοῦς, Ὕλη· Ἄϋλον, Ἔνυλον· Πέρας, Ἄπειρον· Θεῖα, Σώματα· Οὐρανὸς, Γένεσις· Ὅλον, Μέρος· Λογικὸν, Ἄλογον· & infinita ejusmodi, reſpectu tam Νοητοῦ qvam Αἰσθητοῦ κόσμου, contraria, oppoſita, repugnantia; qvin, uterqve ipſe Κόσμος; peculiarem ſibi poſcebant, ex opinione Veterum, Divinitatem: Qvæ non ſolum harum Contrarietatum, ut ita dicam, & Repugnantiarum terrores non reformidaret; ſed & prudenti & ſapienti conſilio, omnia illa conciliare, & ad exemplar ſummi & ineffabilis Ἑνὸς, in Vnum redigere & conformare ſciret. Hanc illi ſive Poteſtatem, ſive Virtutem, Deam fecerunt, & Ἀθηνᾶν appellarunt. Hanc, πᾶσαν συνέχειν τὴν κοσμοποιΐαν, καὶ ἔχειν νοερὰς τε ζωὰς ἐν ἑαυτῇ, καθ᾽ ἃς ὑφαίνεται τὸ πᾶν, καὶ ἑνωτικὰς δυνάμεις, καθ᾽ ἃς ἐπιτροπεύει πάσας τὰς ἐγκοσμίους ἀντιθέσεις, prædicarunt. Hanc e Jovis cerebro prognatam, nihilominus in illo permanentem νόησιν δημιουργικὴν, χωριστὴν καὶ ἄϋλον perhibuerunt. Hanc Φιλοσόφου ſimul & Φιλοπολέμου Θεᾶς Elogio decorarunt: Et illo qvidem; qvatenus ἑνιαίως πᾶσαν συνέχει τὴν πατρικὴν σοφίαν. Hoc vero, quatenus πᾶσαν ἐναντίωσιν μονοειδῶς ἐπιτροπεύει. Vnde, reſpectu illius, teſte *Orpheo*, inter Deos Μῆτις vocatur: reſpectu hujus, ab eodem fingitur: ὅτι ἄρα αὐτὴν ὁ Ζεὺς ἀπογέννησεν ἐκ τῆς κεφαλῆς,

Ὅπλοις λαμπομένην, χαλκήϊον ἄνθος ἰδέσθαι.

Hujus etiam reſpectu, *Cor Dionyſii* lacerati, Titanibus eripit, ſalvumqve ac incolume ſervat: *Gigantes* debellat: *Ægidem* qvatit. Hanc vocarunt ΦΩΣΦΟΡΟΝ, ὡς τὸ νοερὸν πᾶν διαπνέουσαν φῶς. ΣΩΤΕΙΡΑΝ, ὡς πάντα τὸν μερικὸν νοῦν ἐνιδρύουσαν ταῖς ὁλικαῖς νοήσεσι τοῦ πατρὸς. ΕΡΓΑΝΗΝ, ὡς τῶν δημιουργικῶν ἔργων προστάτην. Vnde eam *Orpheus* a Patre productam ait:

Ὄφρ᾽ αὐτῷ μεγάλων ἔργων κράντειρα πέλοιτο.

ΚΑΛΛΙΕΡΓΟΝ, ὡς πάντα τὰ ἔργα τοῦ πατρὸς τῷ νοερῷ κάλλει συνέχουσιν.

χουσαν. ΠΑΡΘΕΝΟΝ, ὡς ἄχραντον προβεβλημένην ϰ̀ ἀμιγῆ καθαρότητα. ΑἸΓΙΟΧΟΝ deniq; ὡς τὴν ὅλην εἱμαρμένην κινοῦσαν, καὶ ποδηγετοῦσαν τὰς ποιήσεις αὐτῆς. Hanc *Omnis Sapientiæ Præsidem*, *Omnis Virtutis Auctorem* fecerunt. Vnde rursus *Orpheus* de illa:

> Ἀρετῆς δέ τι οὔνομα ἐσθλὸν
> Κλήζεται.

Hæc porro, his virtutibus instructa Dea, *Variegatum Naturæ Peplum* concinnasse, Symbolice ita ab *Orpheo* fingebatur. In qvo Dirum illud Bellum, qvo Gigantes cœlum affectasse perhibentur; a se confectum & compositum, sua arte depictum, conspiceretur. Qvo figmento utrumqve hujus Divinitatis proprium characterem, τὸ φιλόσοφον nimirum, & τὸ φιλοπόλεμον; qvin ipsam, qvanta qvanta est, Deam, miro artificio expressit Sapiens. Nam & ipsa ars ὑφαντικὴ, τῆς ποικιλίας, hujus Deæ virtute, ἕνωσιν, adeoqve φιλοσοφικὸν ejus χαρακτῆρα: Expressum autem in ipsa textura Bellum; φιλοπόλεμον ejus, clare satis arguunt. Qvam utramqve Deæ virtutem, *Homerus*, alio, parum tamen diverso modo innuit Iliad. E.

> Αὐτὰρ Ἀθηναίη, κούρη Διὸς αἰγιόχοιο
> Πέπλον μὲν κατέχευεν ἑανὸν πατρὸς ἐπ' οὔδει,
> Ποικίλον, ὅν ῥ' αὐτὴ ποιήσατο καὶ κάμε χερσίν.
> Ἡ δὲ χιτῶν' ἐνδῦσα Διὸς νεφεληγερέταο,
> Τεύχεσιν ἐς πόλεμον θωρήσσετο δακρυόεντα. &c.

Vbi, Interprete *Proclo*, Lib. I. in Timæum Platonis, τὸν μὲν πέπλον, ὃν αὐτὴ ποιεῖ, καὶ ὑφίστησι ταῖς ἑαυτῆς νοήσεσι· τὴν νοερὰν αὐτῆς σοφίαν ἀκουστέον. τὸν δὲ τοῦ Διὸς χιτῶνα τὸν πολεμικὸν, τὴν δημιουργικὴν πρόνοιαν, τὴν ἀτρέπτως προμηθεμένην τῶν ἐγκοσμίων, καὶ τὰ θειότερα τῶν ἐν τῷ κόσμῳ κρατεῖν ἀεὶ παρασκευάζουσαν. Hic itaqve *Peplus*, aut potius hæc Dea ipsa, suis hisce Virtutibus instructa, præcipuum hujus Poëmatis Orphici, qvod olim exstitisse, lectumqve fuisse, testatur

ſtatur *Svidas*, Argumentum fuit. Sive illud jam ab *Orpheo* ipſo profectum, ſive a *Zopyro Heracleota;* aut, ut aliis placet, a *Brontino* compoſitum fuerit. In qvo Auctor, ut dixi, docere voluit, qva ratione, qvave divinitate, omnia, qvæ unqvam ubiqve in toto Vniverſo deprehenduntur alias contraria, pugnantia, oppoſita; nihilominus tamen juncta invicem & compoſita, Vnum Mundum; eumqve pacatum, pulchrum & harmonicum, efficiant. Aut, ſi mavis ad morem Veterum loqvi, ut omnis illa χρυσῆς σειρᾶς ἕνωσις, a Mente Paterna inchoans, omnes, qvorumcunqve Deorum, Ordines amice complectens; ad infimas usqve τῆς ὕλης partes & abyſſos, uno qvaſi tenore exporrigatur, & Vniverſum ita contineat ac conſtringat. Qvod, cum idem docuiſſent olim, Symbolice, Magna illa *Panathenæa*: in qvibus vel præcipuum religionis caput erat, *Pepli Athenaici* ſolemnis deductio; ipſum autem Feſtum ab *Orpheo* primum inſtitutum fuiſſe; cum alii, tum *Theodoretus*, Therapeut. I. tradat, his verbis: Καὶ τῶν Διονυσίων, καὶ τῶν Παναθηναίων, καὶ μέντοι καὶ τῶν θεσμοφορείων, καὶ τῶν Ἐλευσινίων τὰς τελετὰς Ὀρφεὺς, ἀνὴρ Ὀδρύσης, εἰς τὰς Ἀθήνας ἐκόμισεν; Facile qvidem perſvadere ſibi qvis poſſit, in hoc ipſo Carmine Orphico, cui Titulus fuit Πέπλος, Panathenæorum iſtorum Magnorum Rationem deſcriptam & inſtitutam fuiſſe: Niſi qvidem altera Inſcriptionis pars, Δίκτυον, qvale in Panathenaicis nullum locum habet; non tam Inſtitutionem horum Feſtorum, hoc carmine comprehenſam fuiſſe, qvam Argumentum potius, aut Arcanum Senſum Feſti, & Fabulæ ipſius, de Peplo Minervæ, docuiſſe, innuere videatur. Sed qvicqvid hujus ſit; Argumentum ſane alterius hujus Carminis Orphici partis, cum Argumento prioris, optime cohæret: ita, ut, ſi ſcopum Auctoris, & Doctrinam, qvam hic tradere ſibi propoſuit, reſpicias; facile deprehendere poſſis, hoc Δίκτυον a Peplo abeſſe minime potuiſſe.

In illo priori Carmine, omnes in Vniverſo Ἀντιθέσεις & Ἐναντιώσεις, per νόησιν δημιουργικὴν Summi Jovis, *Minervam*, com-

ponit & conciliat Auctor: qvæ Ἐναντιώσεις & Ἀντιθέσεις omnem tam Νοητὸν, qvam Αἰσθητὸν Κόσμον occupaverant. Jam vero, in hoc postremo Αἰσθητῷ Κόσμῳ, & τῇ Ὕλῃ, alia insuper deprehenduntur, sibi invicem, ope alterius cujusdam Potestatis, concilianda; Ἑτερότητες nimirum, qvæ in corporibus & inter corpora freqventes conspiciuntur. Cum enim Corpora ex sua propria natura divisibilia sint, sua natura qvoqve inde Ἑτερότητι exposita sunt, & τῷ Νείκει. Illæ igitur Ἑτερότητες, ante, a quadam Divinitate, ex mente Veterum, in Ταυτότητα reducendæ & concinnandæ sunt; qvam divinæ Palladis artibus, in Ἕνωσιν eum Vniverso trahi & evehi ita possint. Hoc ut fieret; Δημιουργὸν τῶν αἰσθητῶν ἔργων in partes assumebant Veteres: qvem Ἥφαιστον Græci, Latini *Vulcanum* vocant. Hunc, κινεῖν τὰς Φύσεις, & ob id χαλκεύειν affirmabant. Hunc, πάντων τῶν αἰσθητῶν, ποιητὴν, πάντων τῶν γιγνομένων ποιητικὴν αἰτίαν, appellarunt. Hunc χωλὸν & ἀμφιγύιην fingebant: ὡς τῶν ἐσχάτων δημιουργὸν, ἐν ταῖς προόδοις τοῦ ὄντος· τοιαῦτα γὰρ τὰ σώματα, καὶ ὡς μηκέτι περιϊέναι δυνάμενα ἐπ᾽ ἄλλην τάξιν. Hunc, e Cœlo dejectum, & gravi casu, Terræ illusum, fabulabantur; ὡς τὴν ἑαυτοῦ δημιουργίαν, διὰ πάσης διατείνοντα τῆς αἰσθητῆς οὐσίας. Vnde eum definiverunt, qvod sit δημιουργὸς ὁλικὸς, τῆς σωματοειδοῦς ἁπάσης συστάσεως· τάς τε ἐμφανεῖς ἕδρας περιευτρεπίζων τοῖς θεοῖς, καὶ πάντα εἰς τὴν μίαν ἁρμονίαν τοῦ κόσμου ζωῆς τε πάντα τὰ δημιουργήματα πληρῶν σωματικῆς, καὶ τὸ ἀντίτυπον τῆς ὕλης πανταχοῦ διακοσμῶν καὶ συνέχων τοῖς εἴδεσιν. Hoc autem, ut ille præstare posset; adjungebant ei aliam divinitatem, qvæ informi huic, ut ita dicam, & refractario τῆς ὕλης Elemento, πάσης τῆς ἑτεροιώσεως ἀρχῇ, Ἕνωσιν qvandam, ut Græci loqvuntur, & Ἁρμονίαν ἐπιλάμπῃ: Vt, qvantumvis corporea ista, sua natura dissociabilia, nihilominus tamen, ταυτότητι φίλα, καὶ διὰ ταύτης τῆς Ταυτότητος, Ἑνώσει deniqve apta & idonea reddantur. Hanc illi Divinitatem, qvæ hoc præstare posset; Ἀφροδίτην, *Venerem*, appellarunt, eamqve πάσης ἁρμονίας καὶ ἀναλογίας in universum, & ἑνώσεως τοῦ εἴδους πρὸς ὕλην, αἰτίαν definiverunt:

συνέχουσαν

συνέχουσιν καὶ περιέχουσιν τὰς δυνάμεις τῶν ἐν τῷ κόσμῳ στοιχείων. Qvæ Dea, qvamvis *τῶν ὑπερκοσμίων Θεῶν κλῆρον* ſortita eſſet; tamen ejus vel præcipuum munus eſt; ut *κάλλος ἐπιλάμπῃ, τάξιν καὶ ἁρμονίαν, καὶ κοινωνίαν πᾶσι τοῖς ἐγκοσμίοις*: in qvo prima ejus Divinitatis *ἐνέργεια* conſiſtit. Ideoqve *Ἔρωτα*, *Amorem*, Comitem habet; qvem præcipue, in ſe ipſo, Amicitiæ cauſſam continere, prædicarunt: Qvem etiam proinde, cum Pallade, i. e. *Μήτι*, communem cauſſam Geniti Mundi, finxit *Orpheus*, illo Verſu:

Καὶ μῆτις πρῶτος γενέτωρ, καὶ ἔρως πολυτερπής.

Qvod *Pherecydes*, divino figmento imitatus eſt; dum aſſeruit; Jovem ſeſe transformaſſe in Amorem, ante, qvam ſe ad Mundi opus producendum accingeret. Non ſane alio reſpectu qvam, ut *Proclus*, L.III.in Timæum Platonis docet, *ὅτι τὸν κόσμον ἐκ τῶν ἐναντίων συνιστὰς, εἰς ὁμολογίαν καὶ Φιλίαν ἤγαγεν, καὶ ταυτότητα πᾶσιν ἐνέσπειρε, καὶ ἕνωσιν, τὴν δι' ὅλων διήκουσαν.* Qvoniam autem non harum ſolum, qvæ ex *ἑτερότητος τῶν σωματοειδῶν* reſultare ſolent; ſed omnium omnino, qvæ unqvam ubiqvam in Vniverſo occurrunt *Ἐναντιώσεων*, *Διακρίσεων*, & *Διαιρέσεων προστάτην Ἄρεα*, ſive *Martem* eſſe voluerunt; admirando figmento illam,

Qvæ fuit in toto notiſſima Fabula Cœlo,

de furtivo Martis cum Venere congreſſu, excogitarunt. Qva, ut ipſæ etiam *Ἐναντιώσεις καὶ Ἀντιθέσεις, ἐν τῷ αἰσθητῷ κόσμῳ, τῷ Δημιουργῷ* obviantes & occurrentes, in *ταυτότητα* prius redactæ, qvam a Minerva in *Ἕνωσιν τοῦ παντὸς* reductæ fuerint; oſtendere & declarare voluerunt. Qvos proinde, Martem ſcilicet & Venerem deprehenſos, *Vulcanus*, injectis *ἡφαιστοτεύκτοις δεσμοῖς*, aut *Δικτύῳ*, qvale apud *Ovidium*, Lib. IV. Metamorph. deſcribitur, impeditos & captos, Deorum Concilio ridendos exponit. Qvod omne figmentum, mira, ut ſolet ſubtilitate & facilitate exponit *Proclus*, Libro citato: cujus verba operæ precium erit

heic cognoſcere. Διὰ δὴ ταύτην, inqvit, αἰτίαν, καὶ οἱ θεολόγοι, τὰς ἐν τοῖς θεοῖς τούτοις αἰτίας θεωροῦντες, τὴν Ἀφροδίτην τῷ Ἄρει συγκαθείρξαντες, περιβάλλουσιν αὐτοὺς τοῖς ἡφαιστοτεύκτοις δεσμοῖς, τῆς ἐν τῷ κόσμῳ δι᾽ ἁρμονίας καὶ φιλίας συνεχομένης, καὶ ἁπάσης ταύτης συμπλοκῆς, Ἡφαίστου τὴν αἰτίαν ἔχοντος, καὶ διὰ τῶν δημιουργικῶν δεσμῶν, τὴν ταυτότητα τῇ ἑτερότητι συμπλέκοντες, καὶ τῇ διακρίσει, τὴν ἁρμονίαν. Καὶ ἐπὶ τούτοις, γελᾷ μὲν ὁ Ἀπόλλων, γελᾷ δὲ ὁ Ἑρμῆς, γελᾷ δὲ ἕκαστος τῶν θεῶν, ὁ δὲ γέλως αὐτῶν ὑπόστασιν δίδωσι τοῖς ἐγκοσμίοις, καὶ δύναμιν ἐντίθησι τοῖς δεσμοῖς. Itaqve, ut tandem Vtriusqve hujus Poëmatis, ex noſtra opinione, Argumentum, tribus verbis complectamur: Vt illud prius τῆς Χρυσῆς Σειρᾶς, εἰς Ἕνωσιν; ita hoc poſterius, τοῦ Κρατεροῦ Δεσμοῦ, εἰς Ταυτότητα, omnia redigendi Ἐνέργειαν oſtendiſſe & docuiſſe; non ἀλόγως nos affirmare poſſe, confidimus.

PROCLVS.

Libro I. Commentar. in Timæum Platonis.

Ἡ δὲ γὰρ ἀθανάτων προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασῶν
ἱστὸν ἐποίχεσθαι.

Hæc enim immortalium omnium præſtantiſſima eſt
Stamen percurrere.

IDEM. Libro citato.

Ὅπλοις λαμπομένην χαλκήιον ἄνθος ἰδέσθαι.
Armis ſplendentem, æneo flore ſimilem.

IDEM. Libro citato.

Ὄφρ᾽ αὐτῷ μεγάλων ἔργων Κράντειρα πέλοιτο.
Vt ei magnorum Operum perfectrix eſſet.

IDEM.

Digitized by Google

IDEM. Libro II. in Timæum Platonis.

— — Ἀρετῆς δέ τε οὔνομα ἐσθλὸν
Κλήζεται.
Virtutis splendidum nomen audit.

IDEM. Libro I. in Timæum.

Ἀιεὶ γάρ τοι ἔρις τε φίλη, πόλεμοί τε μάχαι τε.
Semper enim ei Contentio Cordi est, Bellaq; & Pugnæ.

IDEM. Libro citato.

Μῆτις τε κέλομαι καὶ κέρδεσι.

Idem, in Platonis Πολιτείαν.

Δεινὴ γὰρ Κρονίδαο Νόȣ κράντειρα τέτυκται.
Gravis enim Jovialis mentis perfectrix est.

TZETZES.
Commentar. in Hesiodum.

Μητέρα δ' ἡρώων Ἀρετὴν ἀπένερθε κλύοντες.
Matrem autem Heroum, Virtutem inde audientes.

PROCLVS.
Lib. I. Commentar. in Timæum Platonis.

Τιτῆνες κακομῆται, ὑπέρβιον ἦτορ ἔχοντες.
Titanes mala consilia agitantes, violentum cor habentes.

IDEM. Libro citato.

ὥσπερ φησὶν ὁ θεολόγος· οἱ πρῶτοι τεκτονόχειρες, τῷ Διὶ τὰς δημιȣργικὰς δυνάμεις ἔδωσαν, πάσης τῆς ἐγκοσμίȣ ποιήσεως.

Οἱ Ζηνὶ βροντόντι πόρον τεῦξαν τε κεραυνὸν
Πρῶτοι τεκτονόχειρες· οἱ δ' Ἥφαιστον καὶ Ἀθήνην
Δαίδαλα πάντ' ἐδίδαξαν, ὅσ' ȣ̓ρανὸς ἐντὸς ἐέργει.

Hi Jovi & tonitru præbuerunt, fabricaruntq; fulmen
Primi Fabri manuarii; hi Vulcanum & Minervam
Omnia artificiosa docuerunt, quæcunque cælum intra
se continet.

IDEM. Libro citato.

Καὶ κρατεροὶ περ ἐόντες, ἀμείνονος ἀντιάσαντες
Ὕβριος ἀντ' ὀλοῆς, καὶ ἀτασθαλίης ὑπερόπλου.

Quamvis robusti sint, fortiori occurrentes
Propter Contumeliam perniciosam, & improbitatem
insolentem.

IDEM. Libro V. in Timæum Platonis.

Ἔνθ' οὖν τ' ὠκεανὸς μὲν, ἐνὶ μεγάροισιν ἔμιμνεν
Ὁρμαίνων ποτέρωσε νόον τρέποι, ἢε πατέρα
Ὃν γυώσῃ τε βίης, καὶ ἀτάσθαλα λωβήσαιτο
Σὺν Κρόνῳ, ἠδ' ἄλλοις ἀδελφοῖς, οἳ πεπίθοντο
Μητρὶ φίλῃ ἢ τοὺς γε λιπὼν, μένει ἔνδον ἕκηλος
Πολλὰ δὲ πορφύρων, μένει ἥμενος ἐν μεγάροισι
Σκυζόμενος ἢ μητρὶ, κασιγνήτοισι δὲ μᾶλλον.

Oceanus autem intra domum se continuit,
Cogitans, quorsum mentem vertat, an Patrem
Suum privet robore, & improba injuriose meditetur
Cum Saturno & reliquis fratribus, qui obedibant
Matri charæ: an hos relinquens, maneat domi quietus:
Multum autem fluctuans, mansit quietus in domo
Iratus Matri suæ, magis autem Fratribus.

IDEM. Libro II. in Timæum.

Ἄτλας δ' οὐρανὸν εὐρὺν ἔχει, κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης
Πείρασιν ἐν γαίης.

Atlas vero latum Cœlũ tenet, valida coactus Necessitate
In extrema mundi parte.

ΠΕΡΙ

ΠΕΡΙ ΔΙΟΣ ΚΑΙ ΗΡΑΣ.

PAcatum nunc & bene compoſitum habemus, Sapientiæ & Amoris Divini beneficio, Mundum. Ex qvibus Illa, omnes ἐναντιώσεις & ἀντιθέσεις in ἑνότητι; Hic, omnes ἑτερότητας & ex his enatas turbas in ταυτότητα redegerunt & conciliarunt. Hic nunc Mundus, aut potius, hoc Vniverſum, ut deinceps contrarietatum harum conciliatarum, & in Pacem ac Concordiam, ſine immutatione tamen ullius cujusqvam propriæ Naturæ, redactarum, ſpecimina & documenta edere; totumqve adeo, qvantum qvantum eſt, Vniverſum, in ſuis omnibus partibus, vivere; vitamqve eam ordinatam, harmonicam, & concinnam peragere, teſtari poſſet; *Orpheus* omnia Diis replevit, Magno illi Δημιουργῷ Totius, ſubjectis & ſubordinatis. Qvorum unusqvisqve proprium ſibi, & a Principe deſtinatum Munus exſeqveretur. Hinc Illi in Vniverſo, Duplex Mundus: Νοητὸς, Αἰσθητός. Hinc Tres Δημιουργίαι: Δῖος, Διονυσιακὴ, Ἀδωναϊκή. Et inde, multæ, & tantum non infinitæ Deorum τάξεις & Differentiæ. Θεοὶ Νοητοὶ, Νοεροὶ, Ὑπερκόσμιοι, Ἐγκόσμιοι, Οὐράνιοι, Γενεσιουργοί. Et inter hos, aliæ τάξεις Φρουρητικῶν θεῶν, Δημιουργικῶν, Ἀναγωγῶν, Συνεκτικῶν, Τελεσιουργῶν. Ζωογόνων, Ἀτρέπτων, Ἀπολύτων, Κριτικῶν, Καθαρτικῶν, &c. Nec his contentus Orpheus; Singulis Diis, Singula Agmina, Angelorum, Dæmonum, Heroum, addixit; qvibus itidem, ſed improprie, Deorum nomen dedit. Ἔστι γὰρ, ut *Proclus*, Lib. V. in Timæum Platonis ait, ex opinione Orphei & Theologorum, περὶ ἕκαστον θεὸν οἰκεῖος Ἀγγέλων τε καὶ Ἡρώων, καὶ Δαιμόνων ἀριθμός· ἕκαστος γὰρ ἡγεῖται πλήθους παραδεξαμένου τὴν ἑαυτοῦ μορφήν. Qvorum Officium generatim poſuit in eo, ut προπομπεύωσι τῆς ποιήσεως τῶν θεῶν. Qvoniam vero Deorum Actus, Simplices ſunt, nec orbem aut centrum ſuæ Divinitatis, propria natura, excedunt; Ita ut, qvæ Dii agunt, μονίμως & ἡνωμένως a-

H gant:

gant: Qvo illi Actus in deſtinatas ſibi a Providentia τ̃ ὅλε partes diſtribui & derivari porro poſſint; Alias, Minores Divinitates, ſingulis ſubjunxit & aſſociavit Orpheus: Cum qvibus Dii ita ſimul agerent; ut Hæ Illorum Actus ſuſcipiant, illosqve deinceps in inferiora derivandos, diſpeſcant & diſcernant. Cujus rei, cum ſimile qviddam in diverſo Mortalium Sexu deprehendiſſet; in Diis qvoqve *Sexus Differentiam* obſervari voluit: ut alii Mares cenſeantur, aliæ Fœminæ. Et Illorum qvidem proprium eſſe, ἑνιαίως agere; Harum vero, δευτέρως: Illorum, πρώτως; Harum, ὑφειμένως agere, docuit. Ita, verbi gratia, *Rheam*, *Saturno* copulavit: qvoniam, ut *Proclus* ait, αὕτη ἡ θεὸς πάσης ἐστὶ τῆς Κρονίας δυνάμεως κόλπος. *Terram Cælo* junxit: ὅτι πάντων ἡ γῆ ἐστὶ μήτηρ, ὧν ὁ οὐρανὸς πατήρ. Aut, ut idem *Proclus*, Lib. II. in Timæum Platonis, clarius exponit: Οὐρανὸς πρὸς τὴν γῆν, ἄρρενος ἔχει πρὸς θῆλυ τάξιν· διότι δὴ λόγους μὲν καὶ δυνάμεις ἑκάστοις ἐνδίδωσιν ἡ τοῦ οὐρανοῦ κίνησις· δεχομένη δὲ τὰς ἐκεῖθεν ἀπορροίας ἡ γῆ, λοχεύει καὶ γεννᾷ ζῶά τε καὶ φυτὰ παντοῖα. *Tethyn, Oceano* ſociavit. Qvoniam, ut *Idem*, Lib. IV. docet, ὁ μὲν ὠκεανός ἐστι πάσης κινήσεως νοερᾶς, ψυχικῆς, φυσικῆς, πᾶσιν αἴτιος τοῖς δευτέροις· ἡ δὲ Τηθὺς, πάσης διακρίσεως τῶν ἐκ τοῦ ὠκεανοῦ προϊόντων ὀχετῶν· ἑκάστῳ διδοῦσα τὴν οἰκείαν καθαρότητα, τῆς ἐπιβαλλούσης αὐτῷ κατὰ φύσιν κινήσεως· δι᾽ ἣν ἕκαστον κἂν ἵστασθαι τὸ κινῇ, κἂν ἄλλα, διαφερόντως κινεῖ. Ex qvibus jam *Definitio* utriusq; Sexus in Diis, apparet: Nimirum, ὅτι τὸ μὲν μόνιμον δυνάμεως αἴτιον καὶ ταυτότητος, καὶ τοῦ ὄντως χορηγὸν, καὶ τῆς ἐπιστροφῆς τοῖς πᾶσι τὴν πρωτίστην ἀρχὴν ἀναδοτάμενον· ἐν τῷ ἄρρενι συνείληπται. Τὸ δὲ προόδους παντοίας, καὶ διακρίσεις, καὶ ζωῆς μέτρα, καὶ γονίμους δυνάμεις ἀφ᾽ ἑαυτοῦ προϊέμενον, ἐν τῷ θήλει περιέχεται. Porro, hoc inter Deos Deasqve commercium, mutuosqve Actus, qvibus Mares Dii, proprie & primum agunt; Fœminæ Deæ, ſuſcipiunt & diſpeſcunt; Ἱερῶν Γάμων nomine decorarunt, Auctore *Orpheo*, Theologi: δι᾽ ὧν αἰνίσσονται τὰς ἐν τοῖς θεοῖς τῶν ἀπογεννήσεων ὁμοταγικὰς κοινωνίας, ut *Proclus* ait, Lib. V. in Timæum Platonis: aut, ut Lib. II. Commentarii

ſui

ſui in Parmenidem Platonis, loqvitur: Ἁπλῶς τὴν ὁμοφυῆ σύζευξιν, καὶ τὴν κοινωνίαν αὐτῶν θείων αἰτίων, μυστικῶς Γάμον προσαγορεύουσιν. Qvos Actus, ſi Deorum qvispiam cum Dea ſibi ὁμοταγῆ, & ordinarie, communicat; Conjugii iſtud commercium ſpeciem habet: Si cum alterius, vel ſuperioris vel inferioris τάξεως Dea; Adulterii. Inde, qvid Fabuloſa illa Deorum Adulteria ſibi velint, qvidqve ſub illis reconditi docuerint olim Sapientes; ex hac doctrina erui poteſt. Nihilo tamen minus, his etiam adulterinis Deorum Actibus Ἱερῶν Γάμων nomen tribuerunt. Qvod *Proclus*, loco citato, in Parmenidem Platonis, indicat. Poſtqvam enim, qvid per Ἱεροὺς Γάμους Theologi intellexerint, docuiſſet; ſubjungit: Ταύτην δὲ τὴν κοινωνίαν, ποτὲ μὲν ἐν τοῖς συστοίχοις ὁρῶσι θεοῖς (οἱ θεολόγοι) καὶ καλοῦσι Γάμον Ἥρας καὶ Διὸς, Οὐρανοῦ καὶ Γῆς, Κρόνου καὶ Ῥέας· ποτὲ δὲ τῶν καταδεεστέρων πρὸς τὰ κρείττω· καὶ καλοῦσι Γάμον Διὸς καὶ Δημήτρας· ποτὲ δὲ καὶ ἔμπαλιν τῶν κρειττόνων πρὸς τὰ ὑφειμένα· καὶ λέγουσι, Διὸς καὶ Κόρης Γάμον. Ἐπειδὴ τῶν θεῶν ἄλλαι μέν εἰσιν αἱ πρὸς τὰ σύστοιχα κοινωνίαι· ἄλλαι δὲ αἱ πρὸς τὰ πρὸ αὐτῶν· ἄλλαι δὲ αἱ πρὸς τὰ μετ᾽ αὐτά: Καὶ δεῖ τὴν ἑκάστης ἰδιότητα κατανοεῖν καὶ μετάγειν ἀπὸ τῶν θεῶν ἐπὶ τὰ εἴδη τὴν τοιαύτην διαπλοκήν. Qvo etiam reſpicit Lib. I. in Timæum: dum ait: Καὶ τὸ τὴν αὐτὴν θεὰν ἑτέροις, ἢ τὸν αὐτὸν θεὸν πλείοσι συζεύγνυσθαι; λάβοις ἂν ἐκ τῶν μυστικῶν Λόγων, καὶ τῶν ἐν ἀπορρήτοις λεγομένων Ἱερῶν Γάμων. Et hos Ἱεροὺς Γάμους per omnes Deorum Ordines vagari, cum Theologorum decreta, tum Fabularum, eosdem loqventium, ingens hodienum ſuperſtes numerus, innuere & docere poſſunt; adeo, ut & *Dæmonibus* communes illos eſſe, ſæpe jam laudatus *Proclus* doceat. Lib. I. in Timæum: Ἐν δέ γε τοῖς Δαίμοσιν, εἰ θεωροίης, πανταχοῦ συνεζευγμένην ὄψει τῶν διττῶν τούτων γενῶν τὴν πρόνοιαν· τοῖς μὲν γὰρ θείοις δαίμοσιν, αἱ θεῖαι δαιμονίδες ἡνωμέναι, πάντα ἀποτελοῦσι δευτέρως, ἅπερ ἐκεῖνοι πρώτως· τοῖς δὲ ψυχικοῖς αἱ ψυχικαὶ· τοῖς δὲ φυσικοῖς, αἱ φυσικαὶ· τοῖς δὲ σωματικοῖς, αἱ σωματικαὶ μητέρων ἔχουσαι πρὸς τοὺς ἄρρενας, καὶ δυάδων, ὡς πρὸς μονάδας λόγον:

Digitized by Google

Πάντα γὰρ ὑφειμένως γεννῶσιν· ἅπερ ἐκεῖνοι πατρικῶς, καὶ ἡνωμένως παράγουσιν. Ex his, hactenus expoſitis, divinari poſſe arbitror, qvod Argumentum fuerit Poëmatis, ſub *Orphei* nomine ab *Euſtathio*, Commentario in Periegeſin Dionyſii, citati; Περὶ Διὸς καὶ Ἥρας. Nempe, ſi non extiterit olim ingens opus, Orphei nomen præ ſe ferens, ΙΕΡΩΝ ΓΑΜΩΝ, in qvo omnis doctrina hæc contenta & tradita fuerit: Saltem hoc Poëma docuiſſe credo, ΔΙΟΣ ἹΕΡΟΥΣ ΓΑΜΟΥΣ aut ΔΙΟΣ ΚΑΙ ἩΡΑΣ ἹΕΡΟΝ ΓΑΜΟΝ. *Junonem* enim *Jovi* ſociatam, & tralatitium eſt; &, qvod ad hos imprimis Γάμους attinet: *Proclus* de ea diſerte teſtatur, ὅτι μὲν Ἥρα, συμπρόεισι τῷ Διῒ, πάντα ἀποτίκτουσα σὺν τῷ πατρί. Qvamobrem etiam Ἰσοτελὴς Jovi, ab *Orpheo* dicta fuerit. Sed & Fabulæ, aliaqve Symbolica figmenta, hoc Conjugium Jovis & Junonis teſtantur. Exempli cauſa: Jovis Δημιουργοῦ, ſummum & primum in Mundum Beneficium laudatur, Vegetatio Mundi, Vitæqve per Animam communicatio: Hoc Theologi per Fabulam de Dionyſo indicarunt; Qvem ex Femore Jovis prognatum, a Titanibus diſcerptum & laceratum fuiſſe, perhibuerunt; qvam Fabulam fuſius expoſuimus, in Bacchicis. Jam vero Jovi, Dionyſum parturienti, Fabula tradit, adſtitiſſe Ἵππαν, qvæ partum exceperit, eumq; ad Matrem Deorum, in montem Idam detulerit: Qvæ ſane Ἵππα, non alia eſt, ac ipſa Ἥρα: qvod *Proclus* oſtendit, Lib. II. in Timæum: Nec per illam Exceptionem aut Suſceptionem aliud intelligitur, qvam ille Actus δευτέρως Junonis, a Jove, πρώτως agente, ſuſceptus; ut modo docuimus. Ita, cum Jupiter, omnis Vitæ Auctor per totum Vniverſum celebretur; adjungitur ei Juno: qvæ omnem Vitam a Jove ſuſcipiat, & in Vniverſum devehendam, diſpeſcat & diſtribuat. Qvamobrem ζωογόνος θεά, a Theologis dicta fuit, Materqve adeo φύσεως. Ex *Orphei* enim doctrina

Νώτοις ἀμφὶ θεᾶς, φύσις ἄπλετος ἠώρηται.

Vtpote a qva πᾶσα ζωὴ πρόεισιν, ἥτε νοερὰ, καὶ ἡ ἀχώριστος τῶν διοικουμένων· ἐξηρτημένη δ᾽ ἐκεῖθεν, καὶ ἀπηωρημένη, φοιτᾷ διὰ πάντων ἀκωλύτως, καὶ πάντα ἐμπνεῖ· δι᾽ ἣν, τὰ ἀψυχότατα, ψυχῆς μετέχει τινός· καὶ τὰ φθειρόμενα, μένει διαιωνίως ἐν τῷ κόσμῳ, ταῖς ἐν αὐτῇ τῶν εἰδῶν αἰτίαις συνεχόμενα. Qvod Jovis cum Junone commercium, in producendis etiam Animabus μερικαῖς, Seqvens Caput pluribus oſtendet, in *Cratere Minore:* Per qvem Orpheus, eandem Junonem Symbolice adumbravit: ut jam mox videbimus.

EVSTATHIVS
Comentario in Dionyſii Periegeſin.

Κύκλον ἀκαμάτου καλλιρρόου ὠκεανοῖο,
Ὅς γαῖαν δίνῃσι πέριξ ἔχει ἀμφιελίξας.

Circulum indefeſſi, pulchre fluentis Oceani
Qvi Terram vorticibus ambit, circum illam volutus.

FRANCISCVS PATRICIVS.
Diſcusſionum Peripateticarum Tom. III. Lib. V.

Ῥείη τοι νοερῶν μακάρων πηγή τε ῥοή τε
Πάντων γὰρ πρώτη δυνάμει κόλποισιν ἀφράστοις
Δεξαμένη γενεὴν ἐπὶ πᾶν προχέει, τροχάουσαν.

Rhea ſane, intelligibilium beatorum, fonsq; fluxusq;
Omnium enim prima potentia ſinubus ineffabilibus
Suſceptrix generationem in omne profundit, currentem.

ΚΡΑΤΗΡΕΣ.

TImæus Locrus, ex Schola Pythagoræ, Orphei sectatoris: (qvem Plato tanti fecit, ut ejus audiendi gratia, Iter in Italiam susciperet) Mundum definivit: Ζῶον Ἔμψυχον, Ἔννουν. Qva qvidem Definitione, omnia complexus est; qvæ, cum ad universam Totius Constitutionem; tum, vel maxime, ad Ejusdem Vitam & Motum concurrere; Antiqvissimi illi Sapientes, a primis Philosophiæ initiis, crediderunt. Et Materiam qvidem, ἀργὸν, illud, tanqvam mere Passivum, ut loqvuntur, Principium agnoscentes, non admodum movere laborarunt. Omnem autem Naturalis Scientiæ Cardinem, in Motu & Vita hujus Materiæ qværentes; in eo ipso pervestigando & determinando; unice laborarunt. Vnde in Antiqvissimorum illorum Naturalibus Contemplationibus, nihil fere, nisi Animas, Mentem, Δυνάμεις, & similia, crepari audias: qvibus omnem, quæ de his talibus haberi potest, Scientiam, exhaurint. Qvam Viam, ipse qvoqve *Timæus*, secutus; Mundum, *Animal* definit: Κατὰ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν, καὶ τὴν εἰς καθήκουσαν ζωὴν ἀπὸ Ψυχῆς, καὶ περὶ αὐτὸν μερίζομένην. Ἔμψυχον vero; κατὰ τὴν τῆς Θείας Ψυχῆς, Animæ illius Mundanæ, εἰς ἑαυτὸν παρουσίαν. & deniqve Ἔννουν; κατὰ τὴν νοερὰν ἐπιστασίαν. Etenim, & Vitæ Suppeditatio; & Animæ Principatus; & Mentis Communio; omne hoc Vniversum, & qvicqvid infra τ' Ἀγαθὸν, comprehenditur; ex mente illorum, continet & absolvit. Cum autem & ipsum τ' Ἀγαθὸν, & ex eo prognatam Mentem, sive Νοῦν, utrumqve Ἀκίνητον, certo modo, statuerent: Præcipuam, in Contemplationibus Naturalibus, Operam posuerunt, in consideratione Motus ipsius, ejusqve Caussis proximis; videlicet, Animabus. Qvod, ut clarius patescat; Ordines illos, seu Classes Entium, in qvas illa, Antiqvorum Discipulus & Enarrator, Plato; ejusqve Sectatores; descripsère: heic, vel tribus verbis, adducam:

adducam: Reliqva apud Ipſos videri poſſunt. Ita autem Illi: Omne Ens, aut Movetur; aut Movet tantum: aut; ſimul & Movet & Movetur. Qvæ Moventur tantum; ſunt Corpora. Qvæ Movent qvidem, ſed ab aliis Moventur; ſunt ea, qvæ circa corpora dividuntur; Qvalitates, qvas vocant, & Formæ Materiatæ. Qvæ qvidem in ſe, & ſua natura, ſunt Incorporea; &, ob id ipſum, movendi facultatem participant. Interim, alia ſunt, qvæ Per ſe ſunt Mobilia, videlicet Animata. Anima autem in iſtis exiſtens: primo, ſe ipſam & movet & a ſe ipſa movetur. Inde, propter eandem facultatem Motus, a ſe ipſa qvoqve, Motus Simulacra corpori etiam præbet. Vnde, cum omnis, & perfectiſſimi qvidem, Motus Ratio, ab Anima dependeat; Animæ qvoqve primam & præcipuam, in Contemplationibus Naturalibus, Rationem haberi debere; arbitrati ſunt. Porro: cum omnis Numerus, ex Monade originem habeat; & ex ea cenſeatur: Ita infinitas, qvotqvot ſunt, in hoc Vniverſo, Animas, ex Vna Communi, ut ita dicam, & Vniverſali Anima, tanqvam Fonte, profluere & emanare docuerunt. Qvam proinde *Animam Mundi*, ſuo Nomine: *Jovem* vero, aut Ζῆνα; Myſtice, Symbolice, Mythice, dixere. Hæc Anima Vniverſalis Mundi, cum & ipſa, ſupra ſe, & τὸ Ἀγαθὸν, & τὸν Νοῦν agnoſcat; ſoliqve Vniverſo deſtinata ſit: Vnde Cauſſas ſuas habeat, & Originem; ita docuit *Orpheus* primus. Νοῦς ille primus, diviniſſimus & abſolutiſſimus, Mundum producturus, qvi vere κόσμος eſſe & dici poſſet; Tria invenit Principia Prima: Ex qvibus, inter ſe rite junctis & ſociatis, talis, qvalem volebat, Mundus, confici & produci poſſit: *Æthera*, *Chaos*, *Noctem*. Ex qvibus principiis, *Æther*, puriſſimum & ſimpliciſſimum Principium, ad Divini Ἑνὸς ſimilitudinem qvandem appropinqvabat, & τὸ Πέρας referebat: *Chaos*, huic contrarium principium, in ſe nihil, niſi πλῆθος & Ἄπειρον complectabatur. Hæc bina principia, contraria ſibi invicem, ante omnia commiſit & ſibi invicem conciliavit Auctor ille Mundi. Ex qvorum

mutuo

mutuo Complexu, *Orpheus*, Ingens qvoddam *Ovum* productum fuiſſe finxit: Vtriusqve Principii Naturam, & univerſum adeo Mundum σπερματικῶς intra ſe concludens: qvod Ovum, *Nocti*, tertio principio, excludendum crediderit ſummus ille Δημιουργὸς. Cum autem hoc Ovum excluderetur; in Excluſione ipſa, diſruptum illud fuiſſe, docuit, in Binas Partes: qvarum Superior, purior ac levior, ſurſum lata; Æthereum, aut, ſi mavis, Πέρας & Ἄϋλον τοῦ Κόσμου conſtituerit: Inferior autem, impurior & gravior pars, ſubſidens, Ἄπειρον ac Ὕλην complexa fuerit. Qvoniam vero & Hæ Binæ Mundi nunc Partes, invicem ſibi nihilominus erant contrariæ; interim connectendæ tamen qvaſi, & in Vnum conformandæ: Neceſſario Medium qvoddam excogitandum erat Δημιουργῷ, qvod aptum eſſet & τὸ Πέρας & τὸ Ἄπειρον, aut, qvod eodem redicit, τὸ Ἀμέριστον & Μεριστὸν, ſimul in ſe complecti: adeoqve vinculi loco eſſe, qvo illa bina, ſibi invicem contraria, connecterentur & continerentur. Tale Medium, ut Νοῦς ille Creator, Mundo ſuo, ex Ovo producendo, conciliaret; tradit *Orpheus*, Eum illa bina principia, τὸ Πέρας & τὸ Ἄπειρον, Ἀμέριστον & Μεριστὸν, i. e. *Mentalem ſimplicem eſſentiam, & Diviſſibilem Naturam*, in ipſo illo Ovo ante commiſcuiſſe, tanqvam in *Cratere*: Vnde poſtea in ipſa excluſione Ovi, prodierit, Deus, qvem ob id Πρωτογόνον appellavit; *Phanes* abs ſe dictus. Qvem ſubſecutus alius Deus, deglutiverit. Per *Phaneta* illum, nihil aliud intelligendo, qvam Ideas illas Δημιουργικὰς & Mentales omnes, qvas Νοῦς iſte πατὴρ, ex ſe & propria ſua eſſentia, Crateri, Ovo, infuderit, & cum ὑλικωτέρῳ, aut potius ἀπειροτέρῳ altero Elemento, easdem ita commiſcuerit & confuderit; ut inde Ἓν qvoddam, diviſibile & indiviſibile, utrumqve certo reſpectu, i. e. *Anima*, & τοῦ πέρατος & τοῦ ἀπείρου, *Mentis & Diviſibilitatis* capax, evaderet. Qvod poſterius Elementum, cum in ſe & ſua Natura Diviſibilie fuiſſet, aut ſui communicans pluribus; & poſt κατάποσιν τοῦ Φάνητος, omnes Mentales inſuper δημιουργικὰς Ideas,

Ideas, aut Mentem ipſam ſimul complexa eſſet; nunc unitis ita, & in unam Eſſentiam coactis, contrariis antea, principiis, Vnum Deum inde repræſentavit: Ζῆνα, *Jovem*, ab *Orpheo* appellatum: *Animam Mundi*, vulgo dictam. Qvæ, qvoniam τῷ ἑαυτῆς θειοτάτῳ δέχεται τὸν Νῦν Πατέρα: Ex ſua autem propria & congenita Natura, diviſibilis eſt & communicabilis εἰς πλῆθος; Apta ita & idonea facta eſt, qvæ deinceps Mundi habenas capeſſeret, & Ἐγκόσμιος Νοῦς, Δημιουργὸς τοῦ Ὅλου, Supremusqve Deorum haberetur & vocaretur. Itaqve, Jupiter iſte, τὸν Φάνητα οὕτως καταπιὼν (ἐν ᾧ πρώτως αἱ νοηταὶ τῶν ὅλων αἰτίαι) οὗτός ἐστιν, ex Definitione Veterum, τοῦ κόσμου παντὸς, Ἕις καὶ ὅλος Δημιουργός· Μία Δύναμις; Ἓν Κράτος· Θεὸς ὃν οὐδεὶς ὁρᾷ. Hunc *Orpheus*, teſte *Timotheo Chronographo*, Μῆτιν, Φῶς, Ζωοδοτῆρα, ἐκ τῆς μαντείας vocavit. Μῆτιν qvidem: ob Mentis Paternæ, per κατάποσιν τοῦ φάνητος, conſecutam participationem. Φῶς: cum, qvod per ſuam Emerſionem & Eruptionem ex Ovo, omnem nunc Κόσμον illuſtraret; tum, qvod Mentali Vi, Omnia, imprimis Animas, abs ſe deinceps producendas & productas, illuminaret. Ζωοδοτῆρα: qvod ex propria ſua & connata vi, aliis ſeſe communicandi; binis etiam expoſitis modo Virtutibus inſuper inſtructus; omnibus, etiam Σωματικωτάτοις Vigorem & Vitam largiatur, & diſtribuat. Et hanc ipſam Doctrinam, *Orpheum*, ſeu, Qvicunqve demum verus Auctor fuerit, ejus Poematis, qvod *Joh. Diaconus*, Orphei nomine citat; cuiqve Inſcriptio fuerit, *Crater Major*; in eo tradidiſſe, certiſſime mihi perſvadeo. Nempe ἁπλῶς, *Animæ Mundanæ Originem & Productionem*, per Craterem, *Ovum Primigenium.* Vbi Ὁ Κεραννὺς, eſſet; Νοῦς Πατήρ· ὁ Κρατὴρ, Ovum iſtud primigenium. Τὰ Κιρνάμενα, Contraria illa Principia: Πέρας, Ἄπειρον; Ἀμέριστον, Μεριστόν; *Mens*, *Diviſibile*. τὸ Κρᾶμα, Ipſa illa Conjunctio & Commiſtio dictorum principiorum, ut inde Ἕν quoddam, & *Vna Anima*, Virtute, utramqve principiorum Facultatem recipiendi, prædita, efficeretur & emergeret. Et

hæc qvidem de *Cratere* iſthoc Majore, Jovis, ſeu Animæ Univerſalis Mundanæ Fonte, dicta hactenus ſufficiant.

Alterum autem, præter hunc, & hoc *Minorem Craterem*, Orpheum reperiſſe & docuiſſe; cum alii, tum etiam *Joh. Diaconus*, in Allegoriis Theogoniæ Heſiodi, indicare videtur: Qvin *Proclus* etiam, Lib. IV. in Timæum Platonis, *Orpheum*, Plures, & inter hos, Διονύσου qvoqve Craterem ſtatuiſſe; diſerte obſervat. Cum Ille ἐκ τοῦ Μικροτέρου Κρατῆρος, etiam Fragmentum qvoddam nobis ſervaverit, infra recenſendum. Qvod igitur hujus *Minoris Crateris* Argumentum fuerit; porro diſpiciendum reſtat. Jupiter, qvalem illum e Cratere Majore, Ovo primigenio, emerſum vidimus; Summus & Supremus impoſterum Vniverſi hujus Rex & Gubernator: Cui Νοῦς ille Θεῖος, Omnem, qvaqva patet, in Vniverſo Δημιουργίαν conceſſit & reſignavit: Ex ſe Ipſo, infinitas & innumeras Mundo elargiri & diſtribuere debet Animas μερικὰς; qvæ ſingulas Mundi partes, Supracœleſtes, Cœleſtes, Ὑλικὰς, Elementares, infinita in ſingulis Individua &c. animarent: Diverſis inſuper Perfectionum, ſive Μοιρῶν &c. Gradibus inter ſe differentes. Omnes qvidem Ille ex ſe ipſo, qvoad Eſſentiales Partes, τοῦ ἀμερίστου καὶ μερικοῦ dare & producere poſſet. At enim, cum Ipſe, Summi & Ἐξαιρέτου, a Mundanis, Ordinis Deus, non Ψυχικὴν, ſed Divinam & Νοερὰν Vitam vivat; tanqvam Πέρας τῶν νοερῶν Θείων ἐπέχων μονάδων: Vt Animabus, a ſe producendis, Convenientem Vitam, eamqve ſingulis, ſui generis Modulo reſpondentem & aptam, concedere & addicere poſſet: ex opinione Veterum, opus & ipſi erat Cratere qvopiam: in qvo non jam Prima illa στοιχεῖα Animarum; ſed Media hæc, τὰς Μοίρας ſcilicet, Animabus commiſceret: Vt inde Vita ψυχικῇ, ſuæqve ſorti conveniente præditæ, emergerent. Hunc Craterem Ζωογόνον Θεὰν, alii: *Orpheus*, Ἥραν, appellavit. Hanc διωρισμένην αἰτίαν ψυχικῆς ζωῆς, τὴν συνδημιουργοῦσαν αὐτῷ τῷ δημιουργῷ τὸν ὅλον κόσμον, καὶ ἀπογεννῶσαν πᾶσαν τὴν ψυχικὴν οὐσίαν, definivere. Et, ut Animas ſecundum ſuum,

ſuum, qvod in ipſis eſt, ὄν, a Jove prognatas; ita ſecundum ſuam Vitam, easdem ex hoc Cratere prognatas, docuere. Πανταχόθεν γὰρ, inqviunt, οὗτος ὁ κρατὴρ περιέχει τὰ γένη τῶν ψυχῶν ἐν ἑαυτῷ, καὶ μετὰ τοῦ δημιουργοῦ συναπογεννᾶται ψυχάς. Vnde etiam eadem Ἥρη, *Orpheo* noſtro Ἰσοπαλὴς τῷ Δημιουργῷ appellatur: Eiqve ita copulatur, ut Mater dicatur omnium eorum, qvorum Jupiter eſt Pater. Fxhibet ſe igitur & in hoc Cratere nobis, Primo ὁ Κεραννὺς: ***Jupiter***, τὴν Πατρὸς μὲν ἔχων τάξιν. ***Deinde:*** ὁ Κρατὴρ; ***Juno***, ſecundum ***Orpheum***, τὴν γεννητικὴν, καὶ ἀφοριστικὴν τοῦ εἴδους τῶν ψυχῶν τάξιν ἔχουσα: Tertio, τὰ Κιρνάμενα; ***Animæ***, & ***Elementa Media***, Μοῖραι. Deniqve τὸ Κρᾶμα, εἰδοποιεῖται κατὰ τὴν γεννητικὴν αἰτίαν ἕν τι γιγνόμενον ἀπὸ τοῦ κρατῆρος. Et hæc eſt iſta Doctrina, a primis & antiqviſſimis Sapientiæ temporibus, tantum commendata tantumqve adamata; ut jam *Zoroaſter* unice præceperit: Ei, qvi ex Ratione vivere, & dignum ſe Divinarum rerum Contemplatorem reddere velit; hunc ψυχῆς ſuæ ὀχετὸν ante omnia qværendum & conſiderandum eſſe; In hunc Craterem, immergendam ante, contemplatione, omnem Animam eſſe; qvæ Mentis illius Divinæ, capax evadere, & tandem ad ipſum illud Summum & Abſolutiſſimum Bonum adſcendere cupiverit; *Mercurius Triſmegiſtus* jubet. At vero, qvod Nomen, ſeu Inſcriptionem ipſam attinet; Symbolicam eam eſſe, manifeſtum eſt. Sunt autem Crateres, ut *Porphyrius* docet, Symbola Nympharum, & ſpeciatim, Najadum. Qvas Animas eſſe, Generationem ſubeuntes; *Idem* aſſerit, in Antro Nympharum. Sed & τῶν Πηγῶν σύμβολον Φέρειν, τοὺς Κρατῆρας, apud Eundem legimus. Et *Plato*, qvem alibi Craterem dixit; Πηγὴν τῶν ψυχῶν, alibi diſerte vocat. Vt nihil dicam de *Dellis* Fontibus, in Sicilia; qvos immenſum profundos, aquarum ſcaturigine ſemper ebullientes, *Crateras* vocari ab incolis, *Macrobius* docet, Lib. V. Saturn. Cap. XIX. Deniqve, *Clemente Alexandrino*, & *Svida* teſtibus, nonnulli *Zopyrum Heracleotam*, horum jam expoſitorum Poëmatum, verum Auctorem agnoſcere voluerunt. JOH.

Digitized by Google

JOHANN. DIACONVS,
In Allegoriis Theogoniæ Hesiodi.

Ἐκ τοῦ λεγομένου Κρατῆρος.

Ἔστι δὴ πάντων ἀρχὴ Ζεύς. Ζεὺς γὰρ ἔδωκε
Ζῶα τ' ἐγέννησεν· καὶ Ζῆν' αὐτὸν καλέουσι,
Καὶ Δία τ' ἠδ', ὅτι δὴ δία τοῦτον ἅπαντα τέτυκται.
Εἷς δὲ πατὴρ οὗτος πάντων, θηρῶν τε βροτῶν τε.

Jupiter est Principium omnium. Jupiter enim dedit
Et genuit Animalia, & Jovem eum vocant
Et Δία, *qvoniam ex eo omnia prognata sunt.*
Hic vero Vnus pater est omnium, Ferarum & Hominum.

ARISTOTELES.
Libro de Mundo.

Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕστατος, ἀρχικέραυνος·
Ζεὺς κεφαλή, Ζεὺς μέσσα· Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται,
Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος·
Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη·
Ζεὺς πνοὴ πάντων, Ζεὺς ἀκαμάτου πυρὸς ὁρμή·
Ζεὺς πόντου ῥίζα· Ζεὺς ἥλιος, ἠδὲ Σελήνη·
Ζεὺς βασιλεύς· Ζεὺς ἀρχὸς ἁπάντων, ἀρχικέραυνος·
Πάντας γὰρ κρύψας αὖτις φάος ἐς πολυγηθὲς,
Ἐξ ἱερῆς κραδίης ἀνενέγκατο μέρμερα ῥέζων.

APVLEIO Interprete.

Primus cunctorum est, & Jupiter ultimus idem.
Jupiter & caput & medium est. Sunt ex Jove cuncta,
Jupiter est terræ basis, & stellantis Olympi.
Jupiter & Mas est, estqve Idem Nympha perennis.
Spiri-

Spiritus est cunctis: validusqve est Jupiter ignis.
Jupiter est pelagi radix; est Lunaqve Solqve.
Cunctorum Rex est; Princepsq; & Originis Auctor.
Namq; sinu occultans, dulces in luminis auras
Cuncta tulit, sacro versans sub pectore curas.

Nullum ex omnibus, qvæ Orpheo tribui solent, Carminibus, sæpius apud Scriptores Antiqvos citatum occurrit, atqve hoc, qvod ex Libello de Mundo, qvi *Aristoteli* vulgo adscribitur, & *Apulejo*, adduximus. Nam præter hos, mentionem ejus faciunt: *Clemens Alexandrinus*, cum Libro V. Strom. tum alibi passim: *Eusebius*, Præparat. Evangel. Lib. III. & alias: *Proclus*, Lib. I. & reliqvis, in Timæum Platonis; *Porphyrius*, citante Eusebio; & alii plures. Sed, qvod heic dissimulandum non est: Ita varie singuli citant hoc Carmen; ut ne binos qvidem invenias, qvi eandem ubivis lectionem in eo servent. Qvin, dum unus idemqve, unum alterumve Versum, diversis Locis aut Libris recenset; ne illic qvidem verba verbis respondere deprehendes. Taceo, Alios, plures Versus, his recensitis, interjicere; Alios, unum alterumve ejicere; Alios, hos inter se trajicere; Alios, Capiti Frontiqve qvosdam præfigere: Vt necessarium omnino videatur; audere hic aliquid, & totius, Insignis sane, hujus Fragmenti, Novam Recensionem Cudere: Qvam nos, cum bona Lectoris Venia, tentare heic volumus: Rationes, si qvæ in hoc versantur; & Variantes Lectiones; mox annotaturi. Ita autem cohæsisse omnia qvondam, suspicamur:

Τοὔνεκα σὺν τῷ παντὶ Διὸς πάλιν ἐντὸς ἐτύχθη
Αἰθέριος εὐρείης, ἠδ' οὐρανοῦ ἄγλαον ὕψος,
Πόντου τ' ἀτρυγέτου, γαίης τ' ἐρικυδέος εὐρη·
Ὠκεανός τε μέγας, καὶ νείατα τάρταρα γαίης·
Καὶ ποταμοὶ, καὶ πόντος ἀπείριτος, ἄλλα τε πάντα·
Πάντες θ' ἀθάνατοι μάκαρες θεοὶ, ἠδὲ θέαιναι.

Ὅσσα τε ἦν γεγαῶτα, καὶ ὕστερον ὅσσα ἔμελλεν
Γίγνεσθαι, Ζηνὸς δ' ἐνὶ γαστέρι σειρὰ πεφύκει.

* * *

Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕστατος, ἀρχικέραυνος·
Ζεὺς κεφαλή, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.
Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος·
Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη·
Ζεὺς πνοὴ πάντων, Ζεὺς ἀκαμάτου πυρὸς ὁρμή.
Ζεὺς πόντου ῥίζα· Ζεὺς ἥλιος, ἠδὲ σελήνη·
Ζεὺς βασιλεύς· Ζεὺς αὐτὸς ἁπάντων ἀρχιγένεθλος·
Ἓν κράτος, εἷς Δαίμων γένετο, μέγας ἀρχὸς ἁπάντων·
Ἓν γὰρ δέμας βασίλειον, ἐν ᾧ τάδε πάντα κυκλεῖται.
Πῦρ καὶ ὕδωρ, καὶ γαῖα, καὶ αἰθὴρ, νύξ τε καὶ ἦμαρ,
Καὶ μῆτις, πρῶτος γενέτωρ, καὶ ἔρως πολυτερπής·
Πάντα γὰρ ἐν μεγάλῳ Ζηνὸς τάδε σώματι κεῖται.
Τοῦ δή τοι κεφαλὴν μὲν ἰδεῖν, καὶ καλὰ πρόσωπα,
Οὐρανὸς αἰγλήεις, ὃν χρύσεαι ἀμφὶς ἔθειραι
Ἄστρων μαρμαρέων περικαλλέες ἠερέθονται·
Ταύρεα δ' ἀμφοτέρωθε δύο χρύσεια κέρατα.
Ἀντολίη τε, δύσις τε, θεῶν ὁδοὶ οὐρανιώνων.
Ὄμματα δ' Ἠέλιός τε, καὶ ἀντιόωσα Σελήνη·
Νοῦς δέ οἱ ἀψευδὴς, βασιλήϊος ἄφθιτος αἰθήρ,
Ὧι δὴ πάντα κλύει, καὶ φράζεται, οὐδέ τις ἐστὶν
Αὐδὴ οὐδ' ἐνοπὴ, οὐδ' αὖ κτύπος, οὐδὲ μὲν ὄσσα
Ἣ λήθει Διὸς οὖας ὑπερμενέος Κρονίωνος.
Ὧδε μὲν ἀθανάτην κεφαλὴν ἔχει, ἠδὲ νόημα.
Σῶμα δέ οἱ περιφεγγὲς, ἀπείριτον, ἀστυφέλικτον,
Ὄβριμον, ὀβριμόγυιον, ὑπερμενὲς, ὧδε τέτυκτο.
Ὦμοι μὲν καὶ στέρνα, καὶ εὐρέα νῶτα θεοῖο,
Ἀὴρ εὐρυβίης· πτέρυγες δέ οἱ ἐξεφύοντο,
Τῇς ἐπὶ πάντα ποτᾶται· ἱερὴ δέ οἱ ἔπλετο νηδὺς·

Γαῖα

Γαῖά τε παμμήτειρα, ὀρέων τ' αἰπεινὰ κάρηνα·
Μέσση δὲ ζώνη βαρυηχέος οἶδμα θαλάσσης,
Καὶ πόντου· Πυθμὴν δὲ βάσις, χθονὸς ἔνδοθι ῥίζαι,
Τάρταρά τ' εὐρώεντα, καὶ ἔσχατα πείρατα γαίης.
Πάντα δ' ἀποκρύψας, αὖτις φάος ἐς πολυγηθὲς
Ἐξ ἱερῆς κραδίης ἀνενέγκατο, μέρμερα ῥέζων.

AVGVSTINO STEVCHO Interprete.

Fuerunt intra Jovem cum Vniverso
Ætherea vastitas, & cœli præclara sublimitas:
Immensique maris, & telluris inclutæ latitudo:
Oceanusq; ingens, depressaque tartara terræ:
Fluminaque & pontus sine fine, & cætera cuncta:
Immortales omnes, beati Diiq; Deæque,
Quæ fuerint exorta, & quæ ventura sequuntur
Hæc in ventre Jovis rerum compago manebat.

FRANCISCO VIGERO Interprete.

Princeps, postremusq; Jovis, qui fulmine candet.
Ille caput, mediumq; simul, cui cuncta creantur
Ille Solem ac cœli stellatos sustinet axes.
Mas natus Jovis est, natus Jovis integra Virgo.
Spiritus est cunctis, validusq; est Jupiter ignis
Jupiter est Pelagi radix, est Lunaque Solque;
Rex idem, rerumq; parens, & Originis auctor,
Vnica vis, Dæmonque Vnus, qui cuncta gubernat:
Omniaq; hæc unus regali in corpore claudit:
Ignem, Vndam, Terras, Æthram, Noctemq; Diemq;,
Consilium, primum Genitorem, & Numen Amoris:
Hæc Jovis immenso sub corpore cuncta Coërcet
Atque hujus caput eximium, vultusq; decoros

Irradians

Irradians cœlum videas, cui pendula circum
Aureaq; Aſtrorum multo ſe lumine fundit
Cæſaries: geminumq; alto ſtat vertice cornu
In Tauri ſpeciem, rutiloq; accenditur auro:
Ortus & occaſus, ſuperis nota orbita Divis.
Sunt oculi, Phœbus, Phœboq; adverſa recurr ens
Cynthia. Mens verax, nulliq; obnoxius Æther
Regius interitu, qvi cuncta movetq; regitqve
Conſilio. Vox nulla poteſt, ſonitusve, nec ullus
Aures haſce Jovis, ſtrepitus, nec fama latere.
Sic animi ſenſum, & caput immortale beatus
Obtinet: illuſtre, immenſum, immutabile pandens,
Atq; lacertorum valido ſtans robore corpus.
Olli humeri, pectus, nec non immania terga
Aërei late tractus, velocibus idem
Nativisq; ruens circumvolat omnia pennis.
Omniparens Tellus, qviq; alta cacumina tollunt
Montes, ſacram alvum efficiunt: mediamq; ſonantis
Unda tumens pelagi, Zonam. Baſis ultima, Numen
Suſtentans, Terræ penitus radicibus imis
Et vaſtis Erebi ſpaciis, qvosq; avia Tellus
Porrigit extremos, immota in finibus hæret
Cuncta autem medio primum ſub pectore condens
Inde almam in lucem Dio molimine profert.

Cum æqvum ſit, Grato Animo, acceptum Beneficium agnoſcere; iniqvus eſſem, niſi publice heic laudarem Beneficium aliunde acceptum; qvodqve, cum in aliis hujus Tractationis partibus magno mihi ſæpe commodo fuit, tum in Hoc imprimis Carmine reſtituendo, unice me juvit. *Procli,* dico, Commentarios Binos, alterum in *Platonis Timæum;* alterum in *Ejusdem Parmenidem*: Qvos, cum typis exſcriptos, diu ubivis fruſtra qvæſiviſſem; tandem Proxeneta Magno & Venerando mihi Patrono,

ex Illuſtris Reipublicæ Auguſtanæ Bibliotheca Publica, ſingulari Gratia *Illuſtris Ephori*, inſigniqve Favore & Humanitate *Clariſſimi Bibliothecarii*, Antiqva Manu, nitidiſſime deſcriptos, ad tempus, impetravi. Ex qvibus binis Codicibus, qvæcunqve hic, adducta inde, conſpiciuntur; omnia mihi manarunt. Si qva igitur ex iis ſunt, qvæ Lectorem qvoqve juvare poſſunt; habebit ex hoc indicio, qvibus Gratas Gratias ob id referat. Meo ſane nomine, Μεγάλη χάρις Αὐτοῖς. Ex hujus *Procli* Libro II. in Timæum, didici, Octo priores Verſus hujus Carminis, modo recenſiti; qvos item *Steuchus* alicubi citat; non tantum ad Idem hoc Carmen pertinere; ſed etiam reliqvis Verſibus anteponendos eſſe: Et, ſi non, τὸ Ζεὺς πρῶτος γένετο, immediate ultimum ex horum numero exceperit; ſaltem intervallum, qvod verſus hodie deperditi facere potuerint; non adeo ingens fuiſſe. Ipſos autem Octo illos priores Verſus ita adduxi, ut in ipſo præſtantiſſimo Codice Auguſtano comparent. Niſi qvod in Septimo, ubi Codex habet: Καὶ ὕστερον ὅπως ἔμελλεν, loco ὅπως, qvod nec Metrum, nec Senſus, ferunt; ὅσσα repoſuerim: Et in Vltimo; ubi Codex perperam legit, συῤῥαπεφύκει, levi mutatione, ſcripſerim: σειρὰ πεφύκει. Cæterum; Verſum Decimum, Ζεὺς κεφαλή &c. *Plutarchus*, in, de Oraculorum Defectu, ſcribit: Ζεὺς ἀρχή, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα πέλονται. Vndecimum & Duodecimum Verſus; *Euſebius* invicem tranſponit. *Proclus*, Duodecimum plane omittit. Tertium decimum, & Decimum qvartum Verſus; Et *Euſebius* & *Proclus* non agnoſcunt. In Decimo qvinto, ubi *Proclus* & *Euſebius* legunt: Ζεὺς αὐτὸς ἁπάντων ἀρχιγένετλος; apud *Apulejum*, legitur: Ζεὺς ἀρχὸς ἁπάντων, ἀρχικέραυνος: aut, ut alii volunt: ἀργικέραυνος, *coruſcum & citum fulmen ejaculans.* Verſum Decimum ſextum, *Proclus* & *Euſebius*, Lib. III Præp. Evangel. ita legunt, ut in Carmine comparet. Qvem tamen idem *Euſebius*, alibi, ut & *Clemens Alexandrinus*, Lib. V. Strom. his verbis citant: Ἓν κράτος, εἷς δαίμων γέγονεν, μέγας οὐρανὸς αἴθων. Decimum

cimum Septimum, *Clemens*, Libro citato, ſcribit: Ἐν δὲ τὰ πάντα τέτυκται ἐν ᾧ τάδε πάντα κυκλεῖται. Verſus Decimus Nonus, ita qvoqve citatur *Proclo*. Lib. I. Vigeſimum autem, *Idem* Lib. II. legit: Πάντα γὰρ ἐν Ζηνὸς μεγάλου τάδε δώματι κεῖται. Verſus XXVII. XXIIX. XXIX. XXX. e *Procli*, Lib. III. in Timæum, huc tranſcripſimus; qvi apud Eſebium varie hodie peccant. Ita autem ibi:

Νοῦς δέ γε ἀψευδὴς, βασιλήϊος ἄφθιτος αἰθὴρ,
Ὧι δὴ πάντα κυκλεῖ, καὶ φράζεται, οὐδέ τις αὐδὴ,
Οὔτ' ἐνοπὴ, οὔτε κτύπος, οὐδὲ μὲν ὄσσα
Ἢ λήθει Διὸς ὦτα ὑπερμενέος Κρονίωνος.

Verſu, XXXII. loco περιφεγγὲς, qvod habet *Euſebius*; *Proclus* Lib. III. in Timæum, legit πυριφεγγές. Vt &, Verſu XXXVIII. pro βαρυηχέος, *Euſebii*; *Idem*: βαθυηχέος, Verſu. XXXIX. ap. *Proclum* legitur, πυμάτη δὲ βάσις & XL. εὐρυόεντα. Deniqve, bini ultimi Verſus, varie concipiuntur. *Euſebius* legit:

Πάντα δ' ἀποκρύψας, αὖθις φάος ἐς πολυγηθὲς
Μέλλεν ἀπὸ κραδίης προφέρειν παλυθέσκελα ῥέζων.

ubi *Sylburgius* pro παλυθέσκελα, mallet πολυθέσκελα. *Proclus* *Libro I. in Timæum Platonis*:

Πάντα τάδε κρύψας, αὖθις φάος ἐς πολυγηθὲς
Μέλλεν ἀπὸ κραδίης προφέρειν παλιθέσκελα ῥέζων.

Apulejus. & cum hoc, Clemens Alexandr. Lib. V. Strom.

Πάντας γὰρ κρύψας, κ' αὖθις φάος ἐς πολυγηθὲς
Ἐξ ἱερᾶς κραδίης ἀνενέγκατο, μέρμερα ῥέζων.

JOH.

JOH. DIACONVS.

Libro ante citato.

Ἐν τῷ μικροτέρῳ Κρατῆρι.

Ἑρμῆς δ' ἑρμηνεὺς τῶν πάντων ἄγγελός ἐστι,
Νύμφαι ὕδωρ, πῦρ ἥφαιστος· σῖτος Δημήτηρ,
Ἡ δὲ θάλασσα Ποσειδάων μέγας, ἠδ' ἐνοσίχθων.
Καὶ πόλεμος μὲν Ἄρης, εἰρήνη δ' ἐστ' Ἀφροδίτη
Οἶνος, τὸν φιλέουσι θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι,
Ὅντε βροτοῖς εὗρεν λυπῶν κηλήτορα πασῶν
Ταυρογενὴς Διόνυσος εὐφροσύνην πόρε θνητοῖς
Ἡδίστην, πάσῃσι τ' ἐπ' εἰλαπίνῃσι πάρεστι.
Καὶ Θέμις, ἥ περ ἅπασι θεμιστεύει τὰ δίκαια.
Ἥλιος, ὃν καλέουσιν Ἀπόλλωνα κλυτότοξον,
Φοῖβον ἑκηβελέτην, μάντιν πάντων, ἑκάεργον
Ἰητῆρα νόσων, Ἀσκληπιόν, ἔνθα δὲ πάντα.

Mercurius vero Interpres, omnium Nuncius est.
Nymphæ, Aqua: Ignis, Vulcanus: Frumentum, Ceres.
Mare vero, magnus Neptunus & Terræ motor.
Et Bellum quidem, Mars est: Pax autem, Venus.
Vinum, quod amant Dii & mortales Homines,
Quodq; hominibus invenit omnis mœroris delinimentũ
Cornutus Dionysus, Hilaritatemq; exhibuit mortalibus
Dulcissimam, quodq; omnibus Conviviis interest.
Et Themis, quæ cunctis Jura præscribit.
Sol, quem Apollinem vocant arcu inclutum,
Phœbum longe jaculantem, Vatem omnium, procul abigentem
Sanatorem morborum, Æsculapium, ea omnia hic concluduntur.

IDEM. Loco citato.

Ἐκ τῆ αὐτῆ.

Ζεὺς δέ τε πάντων ἐστὶ θεὸς, πάντων τε κεραστὴς
Πνεύμασι συρίζων, φωναῖσι τε ἀερομίκτοις.

Jupiter autem omnium eſt Deus, & qui omnia miſcet,
Spiritibus ſibilans, vocibusque aëreis.

IDEM. Loco citato.

Ταυτὸ καὶ Ἁρμονία Μυσῶν τά τε ὄργανα πάντων,
Μνημοσύνη πάντων πρῶτον πόρεν, εἴτ' ἀνεφάνθη.
Ἀλλὰ χρόνος λήθη κατεχεύατο καὶ κατέκρυψε.
Νῦν δὲ τέχναι τε λόγοι τε, νόμοι θ' ὅσα τ' ἔργα τέτυκται
Πάντα διὰ μνήμην διασώζεται ἀνθρώποισιν.

Idem & harmonia Muſarum & Inſtrumenta omnium,
At Mnemoſyne primum omnium docuit: nec tamen ap-
paruit.
Sed tempus oblivione delevit & occultavit.
Nunc autem & Artes, & Rationes, & Leges, & quæ-
cunq; opera fiunt,
Omnia per Memoriam conſervantur hominibus.

PROCLVS.
Lib. II. in Timaeum.

Ψυχὴ ἐγὼ ναίω, καὶ θερμψυχῶσα τὰ πάντα.

Anima ego ſum, & omnia vegetans.

IDEM. Libro citato.

Νοῦν μὲν ἐνὶ ψυχῇ, ψυχὴν δ' ἐνὶ σώματι δέργῳ.
Ἡμέας ἐγκατέθηκε πατὴρ ἀνδρῶντε θεῶντε.

Mentem

Mentem qvidem in Anima, Animam autem in Corpore pigro,
Ita nos immisit Pater hominumq; Deorumq;.

IDEM. Libro II. in Timæum Platonis.

— Πατὴρ πόιησε κατὰ σπέος ἠεροειδές.

Pater eum (Phaneta) produxit in spelunca obscura.

IDEM. Libro citato.

Ὡς τότε πρωτογόνοιο χανὸν μένος ἠρικεπαίου
Τῶν πάντων δέμας εἶχεν ἑῷ ἐνὶ γαστέρι κοίλῃ
Μίξε δ' ἑοῖς μελέεσσι θεοῦ δύναμίν τε καὶ ἀλκὴν
Τοὔνεκα σὺν τῷ πάντα διὸς πάλιν ἐντὸς ἐτύχθη.

IDEM. Libro citato.

Πάλαι γὰρ ὁ θεολόγος ἔν τε τῷ Φάνητι τὴν δημιουργικὴν αἰτίαν ἀνύμνησεν· ἐκεῖ γὰρ ἦν τε καὶ πρῶτη, ὥσπερ ἔφη καὶ αὐτός,

— — Βρόμιός τε μέγας, καὶ Ζεὺς ὁ πανόπτης.

Et magnus Bromius, & Jupiter omnia videns.

IDEM. Libro citato.

Τοιαῦτα γὰρ περὶ αὐτοῦ καὶ Ὀρφεὺς ἐνδείκνυται περὶ τοῦ Φάνητος θεολογῶν· πρῶτος γοῦν ὁ θεὸς παρ' αὐτῷ, Ζώων κεφαλὰς φέρει πολλάς. Κριίας, ταυρίους, ὀφίας, χαροποῦ τε λέοντος, καὶ πρόεισιν ἀπὸ τοῦ πρωτογόνου ᾠοῦ, ἐν ᾧ σπερματικῶς τὸ ζῶον ἐστιν.

IDEM. Libro citato.

Σπέρμα φέροντα θεῶν κλυτὸν

Inclutum semen Deorum ferentem Phaneta.

IDEM. Libro citato.

Θῆλυς καὶ γενέτωρ κρατερὸς θεὸς ἠρικεπαῖος.

Fœmina & Pater, fortis Deus Dionysus.

IDEM. Libro citato.

Θάυμαζον καθορῶντες ἐν αἰθέρι φέγγος ἄελπτον
Τῷ μὲν ἀπέστιλβε χρόος ἀθανάτοιο φάνητος.

Mirabantur intuentes in Æthere insperatum Lumen,
Quo resplenduit cutis immortalis Phanetis.

IDEM. Libro IV. in Timæum Platonis.

Ποιμαίνων πραπίδεσσιν, ἀνόμματον ὠκὺν ἔρωτα.

Pascens in pectore, cæcum velocem Amorem.

IDEM. Libro IV. in Parmenidem Platonis.

Αὐτὴ γὰρ Ζηνὸς καὶ ἐν ὄμματι πατρὸς ἄνακτος
Ναίουσ' ἀθάνατοί τε θεοὶ, θνητοί τ' ἄνθρωποι,
Ὅσσα τε ἦν γεγαῶτα, καὶ ὕστερον ὅσσα ἔμελλεν.

Illic vero, & in Jovis Patris Regis aspectu
Habitant & immortales Dii, & mortales homines,
Et quæcunque generata sunt, & quæ post futura sunt.

IDEM. Lib. VII. in Parmenidem.

— ὁ δ' ἀπειρέσιον κατὰ κύκλον
Ἀτρύτως ἐφορεῖτο.

Hic autem (Phanes) per immensum circulum
Indesinenter fertur.

E Dia-

E Dialogo Noctis & Jovis.

PROCLVS

Libro II. in Timæum Platonis.

Ὁ τοῦ παντὸς ποιητὴς, πρὸ τῆς ὅλης δημιουργίας, εἴς τε τὸ χρηστήριον εἰσιέναι λέγεται τῆς Νυκτὸς, κἀκεῖθεν πληροῦσθαι τῶν θείων νοήσεων, καὶ τὰς τῆς δημιουργίας ἀρχὰς ὑποδέχεσθαι, καὶ ἀπορίας, εἰ θέμις εἰπεῖν, ἁπάσας διαλύειν, καὶ δὴ καὶ τὸν πατέρα παρακαλεῖ εἰς τὴν τῆς δημιουργίας σύλληψιν, πρὸς μὲν τὴν Νύκτα προσποίηται, τῷ θεολόγῳ, λέγων·

Μαῖα, θεῶν ὑπάτη, Νὺξ ἄμβροτε, πῶς τάδε φράζεις
Πῶς χρὴ μ' Ἀθανάτων ἀρχὴν κρατερόφρονα θέσθαι;
Πῶς δέ μοι ἕν τε τὰ πάντα ἔσται, καὶ χωρὶς ἕκαστον.

Nutrix, summa Dearum, Nox immortalis, qvomodo hæc dicis:
Qva ratione oportet me firmato animo originem Immortalium Deorum ponere?
Et, qva ratione in me omnia erunt, & unum quodqve simul separatum?

Καὶ ἀκούει παρ' αὐτῆς.

Αἰθέρι πάντα πέριξ ἀφάτῳ λαβὲ, τῷ δ' ἐνὶ μέσσῳ
Οὐρανὸν, ἐν δέ τε γαῖαν ἀπείριτον, ἐν δὲ θάλασσαν
Ἐν δέ τε τείρεα πάντα, τά τ' οὐρανὸς ἐστεφάνωται.

Omnia qvæ circa immensum Æthera sunt, occupa, & cœlum
Qvod in medio est, & qvæ in eo est, Terram immensam, & Mare,
Atq; Astra omnia, qvæ cœlum ambit.

Καὶ περὶ πάσης ἑξῆς ἀναδιδάσκεται τῆς κοσμοποιίας, καὶ δὴ καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων ὑποθεμένη δημιουργιμάτων, ἐπήνεγκεν·

Αὐτὰρ ἐπὴν δεσμὸν κρατερὸν περὶ πάντα τανύσῃς.
Σειρὴν χρυσείην ἐξ αἰθέρος ἀρτήσαντα·

Sed poſtqvam Vinculum firmũ circum omnia extenderis;
Aurea Catena ab Æthere ſuſpenſa:

FRANCISCVS PATRICIVS.
Tom III. Lib. V.
Diſcuſſionum Peripatetic.

Τύνη δ᾽ ἐσσὶ πατὴρ, καὶ μητέρος ἀγλαὸν εἶδος,
Καὶ τεκέων τέρεν ἄνθος, ἐν εἴδεσιν εἶδος ὑπάρχων
Καὶ ψυχὴ, καὶ πνεῦμα, καὶ ἁρμονίη, καὶ ἀριθμός.

Tu eris Pater, & matris ſplendida forma,
Et Filiorum tenellus flos, in Formis Forma exiſtens
Et Anima, & Spiritus, & Harmonia, & Numerus.

PORPHYRIVS.
Libro de Antro Nympharum:

Παρὰ δὲ τῷ Ὀρφεῖ, ὁ Κρόνος, μέλιτι ὑπὸ Διὸς ἐνεδρεύεται· πληθεὶς γὰρ μέλιτος, μεθύει, καὶ σκοτοῦται ὡς ἀπὸ οἴνου καὶ ὕπνου, ὡς παρὰ Πλάτωνι ὁ Πόρος τοῦ νέκταρος πληθείς. οὔπω γὰρ οἶνος ἦν· Φησὶ γὰρ παρ᾽ Ὀρφεῖ ἡ Νὺξ, τῷ Διῒ, ὑποτιθεμένη τὸν διὰ μέλιτος δόλον.

Εὖτ᾽ ἂν δή μιν ἴδηαι ὑπὸ δρυσὶν ὑψικόμοισιν
Ἔργοισι μεθύοντα μελισσάων ἐριβόμβων,
Δῆσον αὐτόν.

Qvam primum videas ſtratum ſub qvercubus altis,
Roſcido apum probe madidum dulciqve labore,
Stringe illum vinclis.

ὁ καὶ

ὁ καὶ πάχει ὁ Κρόνος, καὶ δεθεὶς ἐκτέμνεται, ὡς ὁ οὐρανός· τοῦ θεολόγου δι' ἡδονῆς δεσμεῖσθαι καὶ κατάγεσθαι τὰ θεῖα εἰς γένεσιν αἰνισσομένου· ἀποσπερματίζειν τε δυνάμεις, εἰς ἡδονὴν ἐκλυθέντα. ὅτεν ἐπιθυμίᾳ μὲν συνουσίας τὸν οὐρανὸν κατιόντα εἰς γῆν, ἐκτέμνει Κρόνος. (ταυτὸν δὲ τῇ ἐκ συνουσίας ἡδονῇ παρίσαται αὐτοῖς τοῦ μέλιτος) ὑφ' οὗ δολωθεὶς ὁ Κρόνος ἐκτέμνεται· πρῶτος γὰρ τῶν ἀντιφερομένων τῷ οὐρανῷ ὁ Κρόνος ἐστὶ, καὶ ἡ τούτου σφαῖρα. Κάτεισι δὲ δυνάμεις ἐξ οὐρανοῦ καὶ ἀπὸ τῶν πλανωμένων. Ἀλλὰ τὰς μὲν ἐξ οὐρανοῦ δέχεται Κρόνος, τὰς δ' ἀπὸ τοῦ Κρόνου, Ζεύς.

PROCLVS.

Lib. II. in Timæum Platonis.

Πρὸς δὲ τὸν Κρόνον, πάλιν μετὰ τοὺς δεσμοὺς μόνον, οὐκ εὐχόμενός φησί.

Ὄρθρευ' ἡμετέρην γενεὴν ἀριδείκετε δαῖμον.

Illuſtra noſtram inclute Dive prolem.

Adducta hæc, poſtremo loco, e *Dialogo Noctis & Jovis, Demiurgi*, Fragmenta, huic Capiti ſubjicere placuit; non qvod credam hoſce Verſus, Libro, cui ΚΡΑΤΗΡΕΣ Inſcriptio erat, inſertos fuiſſe; aut anxie in hoc contendam: Sed, qvod Argumentum hujus Dialogi, cum Argumento præſentis Capitis, admodum affine ſit, cumqve eo, qvoad Doctrinam ipſam, proxime cohæreat: In qvocunqve demum Libro Orphico Dialogus iſte lectus olim fuerit: Sive peculiaris Liber exſtiterit, qvi talem qvandam Inſcriptionem prætulerit. Certe Fragmenta ipſa, Verſusqve ſingulos, inter Orphica qvondam comparuiſſe; allegati Auctores, ex qvibus ea depromſimus, vel me tacente, abunde confirmant. Nec contemnenda, aut vili ſane pendenda Jactura illa, qvod hic Dialogus non

 inte-

Digitized by Google

integer ad manus noſtras pervenerit; Si qvidem ex eo, Vniverſa Demiurgiæ Jovialis Ratio, primum & ſupremum Theologiæ & Phyſiologiæ, ſuperſtitioſæ Vetuſtatis, Caput, plene ac plane cognoſci potuiſſet. *Nox* enim, qvæ ſecundum *Orphei* Doctrinam, Ovum iſtud Mundanum Primigenium excluſerat; ex qvo Phanes πρωτογόνος exſiluerit, a Jove deinceps deglutitus & abſorptus; *Nutrix*, in hoc Dialogo, hujus *Jovis* inducebatur; A qva Ille omnia futuri ſui Regiminis Præcepta, omnemqve ejus Rationem & Statum acceperit, & deinceps in Vniverſum, ſibi a Mente Paterna creditum, exercuerit. Id, qvod vel ex *Procli* Verbis, primo, ex his, Fragmento, præmiſſis, non obſcure colligimus.

ΘΕΟΓΟ-

Digitized by Google

ΘΕΟΓΟΝΙΑ.

CUm ea sit Mentis Humanæ Conditio, ut perpetuo Motu agitata, nunqvam qviescat; sed in ipso Motu & Cogitatione, omnis ejus Natura, omnis Vita consistat: Nemo profecto se ipsum ita ejuraverit; aut a propria sua Mente, Optima & Præstantissima Sui, Parte, ita alienus erit; qvi non ultro largiatur: tanto unam Mentem, Nobilitate & Divinitate, cæteris præstare; qvanto majorem & nobiliorem Motus sui Scopum, Cogitationis Objectum, sibi elegerit. Et, cum Innumera, qvin, Infinita sint; Majora, Minora; Leviora, Digniora; qvæ Mentis nostræ Vitam ac Cogitationem occupare, & in se convertere valeant: tum Meliores illæ & præstantiores Mentes, non aliis magis Vitæ suæ Actibus delectantur; qvam qvibus ad Originis suæ Initia deferuntur: indeqve in se rursus conversæ, illum motum exercent, qvi Perfectissimus est; *Circularem*. Qvoniam autem Mens nostra, qvamdiu Corporei Carceris Vinculis detinetur; nihilqve in proximo, nisi Corporeas Ideas habet; qvæ sibi per Corporea insuper Organa communicantur & repræsentantur; ita libere, & ex Propriæ Naturæ Impulsu, immensa ista τῆς Ὕλης, ad superna ac Divina, Spacia, emetiri & transvolare neqvaqvam valet: Vt non subinde τῶν ὑλικῶν Δυνάμεων Contemplatione, a Regia qvasi Via, ad Has deflectat: Provida & cata Mens, eas, qvas sibi in isto, qvasi Itinere, τῶν ὑλικῶν, (Majorum imprimis illorum, & Vniversitatem Rerum concernentium) collegit Ideas; eas per Divinitatis sincerissimos meatus secum devehit; iisqve deinceps, inibi velut percolatis, qvasi Gradibus utitur, qvibus (toties repetito cursu ac decursu, toties etiam subinde expeditioribus & facilioribus) ad Superna ista & Divina, liberiore aditu feratur. Inde, Dignissimæ, & propriæ Naturæ convenientissimæ, Humanæ Mentis Contemplationes: *Dei*, *Naturæ*, & *Suæ Ipsius*. In His, omnis Antiqvorum Philosophia occupata erat. His tamen,

tamen, velut cancellis & limitibus, poſitis: Vt de vere Divinis, tanqvam a Terrenis remotiſſimis; non niſi parce, ac cum ſumma Circumſpectione egerint. Vnde non facile Summi illius Ἀγαθȣ͂, aut τȣ͂ Λόγȣ, Mentionem apud qvemqvam invenias, qvam apud Sanctiores Philoſophos. Nullam Fabulam, nullas Ceremonias, nulla Sacra invenies, qvibus Sanctiſſima illa & Puriſſima commiſceantur, aut vel leviter etiam, ingerantur. Ita Iſta ab omni, τῆς Ὕλης, Contagio ſecreta & averſa arbitrabantur; ut, ne Ipſa qvidem Mens humana, illorum Naturæ maxime vicina; qvamdiu vel minimum cum corpore Commercium ei ſupereſt, qvanta qvanta eſt, ſufficiens ſit, ullo Cultu, qvo Corporis, vel levi qvantovis, auxilio utatur, iſtam Divinitatem venerari. Solius in ſe Ipſam reflexæ, Contemplationibus Divinis, & ex iis reſultante Amore & Admiratione, digne, Summum illud, & unice, coli docuerunt. In Naturæ vero Spaciis, & illarum Rerum omnium, qvæ extra Deum ſunt, Stadio, liberiorem ſibi curſum pleriqve indulſerunt. Et, dum ſingula curioſius rimantur; in iisqve qvædam inveniunt, qvæ ita a Senſibus noſtris remota ſunt, ut non, niſi ſola Mentis Contemplatione attingi & deprehendi poſſint: Adeo, ut Effectus qvidem eorum, manifeſta Senſuum ſubtilitate experiamur; Cauſſam autem ipſam nunqvam, vel oculo, vel alio qvovis Senſu, aſſeqvamur: Eorum Vim & Potentiam admirati, ipſis illis Cauſſis, *Divinæ* Appellationis Honorem tribuere. Et, ut partim Confuſio evitaretur; partim, ipſa qvoqve de his ſubtiliora Dogmata, Ludibrio Vulgi & Profanorum ſubtraherentur; variis confictis Deorum Nominibus, ſingulas iſtas Cauſſas occultavere. Inde, Anima Mundi, cujus qvidem Effectus omnes experimur, Ipſam autem nemo unqvam vidit; Jupiter illis eſt: Natura, Dionyſius: Anima, qva Aſtra vivunt, Ceres &c. Cauſſarum autem ipſarum Actus & Operandi modos, Fabuloſis Narrationibus ita expreſſere; ut Principiorum iſtorum gnari Sapientes, facili, & vel levi nonnunqvam animi attentione, nullo negocio,

Digitized by Google

cio, omnia percipere, & Ingenii Acie, in ſingula penetrare potuerint: Cœcum autem Vulgus, non ultra Corticem tendens, per ipſas illas, ſæpe ad ridiculum usqve detortas & implicatas, Narrationes, in tantum a Sacris iſtis & Sublimibus Contemplationum Myſteriis arceretur; ut ſveta ſibi & ſolemni τ͂ λοιδορεῖν ea, qvæ non intelligit vel non curat, audacia; jam non ipſas Res, ſed Rerum Vmbras, Fabulas, petere & inſectari potuerit. Qvoniam vero in Inferiore hoc noſtro, & Sublunari Mundo, Elementorum, aliarumqve Cauſſarum Motus, non minus ſtupendos ſæpe & reconditos Effectus edere deprehenduntur: Hic Novum qvaſi Deorum Syſtema fabricantes; His qvoqve Deorum Nomina impoſuere. Conſtanti tamen & perpetua Ἀναλογίας horum Inferiorum, cum iſtis Superioribus ratione obſervata. Ita, ut, qvæ Anima Mundi, in Supralunaribus, Jupiter vocatur: In his Inferioribus, Æther, aut potius, Puriſſimus & Subtiliſſimus Aër, qvi vicem Animæ qvodammodo in his præſtat; eadem Jovis Appellatione inſignitus fuerit. Siderea, in Superioribus, Anima; qvæ ſingulis Cœleſtibus Globis Vitam & Eſſentiam dat, & ex qva Mentis Humanæ Traducem defluere credebant, Ceres dicta: Nomen ſuum huic Terreno Globo, a qvo & in qvo omnia terrena vivunt, qviqve Homini Corpus largitur, cum iis, qvæ ſuſtentationi ejus neceſſaria ſunt, communicat: & in his Inferioribus, Alma Ceres, Alma Tellus vocatur. Sed & Harum Cauſſarum Motus, Operationes, Effectus, per ſimiles, ſuperioribus, Fabulas, ob eandem cauſſam, docuere & tradidere. Qvæ, ut innumeros iſtorum Principiorum Actus & Agendi Varietates, innumeris qvoqve & variis Narrationibus exprimunt: Ita non raro ad Humanarum etiam Actionum, Morum, Virtutum & Vitiorum Flexus & Varietates ſeſe extendunt. Adeo, ut per easdem Fabulas, Omnem, de Moribus etiam, Doctrinam, eosdem Antiqvos tradidiſſe, non immerito a qvibusdam diſputatum ſit. Hæc omnia igitur cum primi & Antiqviſſimi Sapientes docere alios conſtituere: Varia Sacra,

Variasqve Ceremonias, hic illic, in hominum Genus invexere: Qvibus eosdem Naturæ Actus, aliqvo modo imitarentur; inqve iis, ſub diverſo Symbolorum corporeorum Schemate, ipſam de talibus Doctrinam, Myſtice ita ſignificarent. (qvi ab hoc ipſo ſuo inſtituto *Theologi* dicebantur) Ad qvorum plenam Scientiam, & Cognitionem, Soli Interioris Admiſſionis Myſtæ, perducebantur. Reliqvi vero τῶν Ἀμυήτων, non niſi ad aliqva Leviora admiſſi; nihilominus hoc habebant; ut & ipſi, qvantumvis neſcii & ignorantes, tamen aliqvem his Sublimioribus Cultum & Venerationem exhibuerint: ne ita ſine omni Cultu & Divinorum Reverentia viverent. Aliis tamen, alia, hæc tradendi, Via, placuit: ut Metri & Carminum accerſita jucunditate, vel nude & ſimpliciter ita hæc docuerint; Vel Verarum Rerum geſtarum Hiſtoriis, Fabularumqve Myſticis Veritatibus, inter ſe artificioſe permixtis; eadem cum illis prioribus, ſed tamen ſub diverſo habitu & ſpecie, jucundiore fortaſſis & amœniore, tractaverint. Et Hi, ab ipſa hac ſua tractandi Forma, *Poëtæ* vocati ſunt. Qvemadmodum ii, qvi ſimplici & pedeſtri Sermonis Genere; abjectis inſuper, aut ſepoſitis Fabularum tegumentis, de rebus nude & aperte diſputarunt; *Philoſophorum* Nomen ſibi vindicarunt. Ex illa autem Poëtarum Familia, aliqvi reperti ſunt, qvi peculiari Studio, ſingulariqve Arte, illam Cauſſarum ex ſe invicem Originem, Nexum, Ordinem, Dependentiam, ſub illo qvod diximus, ficto Deorum ac Fabularum Schemate, ita in Vnum Corpus, Continuæqve Narrationis Seriem incluſere; ut nobis qvaſi qvoddam Vniverſæ Theologiæ, aut potius, Phyſiologiæ Veterum, Syſtema: aut, ſi mavis, Compendium, dederint. In qvibus Libris, qvod Argumentum de Origine Cauſſarum Phyſicarum (qvas Deorum nominibus inſignatas fuiſſe, docuimus) a ſe invicem, præcipue regnat; Vniverſæ ſuæ Tractationis Inſcriptionem, Θεογονίας fecere. Qvalem Primus omnium, qvi & Sacra ipſa primus in Græciam intulit, *Orpheus* conſcripſiſſe, perhibetur. Qvem Heſiodus, Aliiqve deinceps ſecuti, vario

ſubinde ac diverſo Narrandi Ordine, eandem Rem, in Iſtis docuere. Nos, qvi Lacera Orphicæ Θεογονίας Fruſta exhibere hic, & exponere ſtudemus; hæc de Generali, omnium hujus generis Librorum, Argumento, ita præfari voluimus. Proprium autem & ſpeciale Hujus, Argumentum, (qvamqvam non integrum) nobis recenſet *Cedrenus*: qvi illud hauſit ex *Timotheo Chronographo*, Περὶ Κοσμοποιίας. Ita autem ille.

Ἐν τοῖς χρόνοις τοῦ Γεδεὼν ἦν Ὀρφεὺς ὁ Θρᾷξ ὁ Λυρικὸς Ὀδρύσιος, ὁ σοφώτατος καὶ περιβόητος ποιητὴς, ὅστις ἐξέθετο ΘΕΟΓΟΝΙ΄ΑΣ, καὶ ΚΟ΄ΣΜΟΥ ΚΤΙ΄ΣΙΝ, καὶ ΑΝΘΡΩ΄ΠΩΝ ΠΛΑΣΤΟΥΡΓΙ΄ΑΝ, εἰρηκὼς ἐν τῇ ἀρχῇ τοῦ συντάγματος αὐτοῦ, ὅτι ἐξ ἰδίας ἐνθυμήσεως οὐκ ἐξέθετό τι περὶ θεοῦ, ἢ τῆς κοσμικῆς κτίσεως, ἀλλὰ αἰτησαμένου αὐτοῦ μαθεῖν παρὰ τοῦ Φοίβου Τιτᾶνος Ἡλίου τὴν θεογονίαν, καὶ τὴν τοῦ κόσμου κτίσιν, καὶ τίς ἐποίησεν αὐτήν. Ἐκφέρεται γὰρ ἐν τῇ αὐτοῦ ἐκθέσει διὰ ποιητικῶν στίχων οὕτως.

Ὦναξ Λητοῦς υἱὲ ἑκατηβόλε, Φοῖβε κραταιὲ,
Πανδερκὲς, θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσων,
Ἥλιε χρυσείαισιν ἀειρόμενε πτερύγεσσι,
Δωδεκάτην δὴ τήν δε πυρισσόον ἔκλυον ὀμφὴν
Σεῦ φαμένοιο. σὺ δ' αὐτὸν, ἑκηβόλε, μάρτυρα θείην.

Καὶ ἄλλους δὲ πολλοὺς περὶ τούτων εἶπε στίχους. ἔφρασε δὲ ἐκ τῶν προειρημένων στίχων, ὅτι ὡς ἐκ τῆς εὐχῆς ἀκούσας περὶ θεογονίας καὶ κτίσεως κόσμου, συνεγράψατο. παρεθήσομεν δὲ διὰ τὸ πλῆθος. Λέγει δὲ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ ταῦτα, ὅτι ἐξ ἀρχῆς ἀνεδείχθη τῷ κόσμῳ ὁ αἰθὴρ, ὑπὸ τοῦ θεοῦ δημιουργηθείς· ἐντεῦθεν δὲ κἀκεῖθεν τοῦ αἰθέρος, ἦν χάος, καὶ Νὺξ ζοφερὰ, πάντα δὲ ἐκάλυπτε τὰ ὑπὸ τὸν αἰθέρα· σημαίνων τὴν νύκτα προτερεύειν· εἰρηκὼς ἐν τῇ αὐτοῦ ἐκθέσει, ἀκατάληπτόν τινα, καὶ πάντων ὑπέρτατον εἶναι, προγενέστερόν τε καὶ δημιουργὸν ἁπάντων, καὶ αὐτοῦ τοῦ αἰθέρος, καὶ πάντων τῶν ὑπ' αὐτὸν τὸν αἰθέρα. Τὴν δὲ Γῆν, εἶπεν, ὑπὸ τοῦ σκότους ἀόρατον οὖσαν. Ἔφρασε δὲ, ὅτι τὸ φῶς ῥή-

ξαν

Digitized by Google

ξαν τὸν αἰθέρα, ἐφώτισε πᾶσαν τὴν κτίσιν, εἰπὼν ἐκεῖνο εἶναι τὸ φῶς ῥήξαν τὸν αἰθέρα, τὸ προειρημένον, τὸ ὑπέρτατον πάντων. οὗ ὄνομα ὁ αὐτὸς Ὀρφεὺς ἀκούσας ἐκ τῆς μαντείας, ἐξεῖπε, ΜΗΤΙΣ, (ὅπερ ἑρμηνεύεται βουλὴ) ΦΩΣ, ΖΩΟΔΟΤΗΡ. εἶπεν ἐν τῇ αὐτοῦ ἐκθέσει ταύτας τὰς τρεῖς θείας τῶν ὀνομάτων δυνάμεις, μίαν εἶναι δύναμιν, καὶ ἓν κράτος τούτων, θεὸν, ὃν οὐδεὶς ὁρᾷ, ἧς τινος δυνάμεως, οὐδεὶς δύναται γνῶναι ἰδέαν ἢ φύσιν. ἐξ αὐτῆς δὲ τῆς δυνάμεως τὰ πάντα γεγεννῆσθαι, ἀρχὰς ἀσωμάτους, Ἥλιον καὶ Σελήνην, καὶ ἐξουσίαν, καὶ ἄστρα πάντα, γῆν καὶ θάλασσαν, καὶ τὰ ὁρώμενα ἐν αὐτοῖς πάντα, καὶ τὰ ἀόρατα. Τὸ δὲ τῶν ἀνθρώπων γένος εἶπεν ὑπ' αὐτοῦ τοῦ θεοῦ πλασθὲν ἐν γῆς, καὶ ψυχὴν ὑπ' αὐτοῦ λαβεῖν λογικὴν, καθὼς Μωσῆς ἐξέθετο. Ὁ δὲ αὐτὸς Ὀρφεὺς ἐν τῇ αὐτοῦ βίβλῳ συνέταξεν, ὅτι διὰ τῶν αὐτῶν τῶν τριῶν ὀνομάτων μιᾶς θεότητος τὰ πάντα ἐγένετο, καὶ αὐτός ἐστι τὰ πάντα. Περὶ δὲ τοῦ ταλαιπώρου γένους τῶν ἀνθρώπων ὁ αὐτὸς Ὀρφεὺς ἐξέθετο ποιητικῶς στίχους πολλούς. ἀφ' ὧν εἰσὶν οὗτοι.

Θῆρες τ' οἰωνοί τε, βροτῶν τ' ἀλιτώσια φῦλα,
Ἄχθεα γῆς, εἴδωλα τετυγμένα, μή τέ τι ἐσθλὸν
Εἰδότες, οὔτε κακοῖο προσερχομένοιο νοῆσαι
Φράδμονες, οὔτ' ἀπὸν μάλ' ἀποστρέψαι κακότητος,
Οὔτ' ἀγαθοῦ παρεόντος ἐπιστρέψαι τι καὶ ἔρξαι
Ἴδριες, ἀλλὰ μάτην ἀδαήμονες, ἀπρονόητοι.

Καὶ ἄλλους δὲ πολλοὺς περὶ τοῦ ἀνθρωπίνου γένους ἐξέθετο στίχους ὁ αὐτὸς σοφώτατος Ὀρφεύς. Ταῦτα Τιμόθεος συνεγράψατο ὁ χρονογράφος, λέγων τὸν Ὀρφέα πρὸ πολλῶν χρόνων εἰπόντα, Τριάδα ὁμοούσιον δημιουργῆσαι τὰ πάντα. id eſt:

Temporibus Gedeonis, vixit Orpheus Thracius, Muſicus, Odryſius, ſapientiſſimus & celeberimus Poëta, qvi edidit Theogonias, Mundi Creationem & Hominum Formationem. Dicens in ipſo Operis Exordio, quod proprio inſtinctu non quicquam ediderit de Deo, aut Mundana Creatione: Sed hæc ut diſceret, impetraſſe ſe precibus a Phœbo Titane Sole: ſcilicet Theo-

Theogoniam, & Mundi Creationem, & quis eum condiderit: Profert enim in ipsa sua expositione, Poeticis Versibus, hoc modo:

O Rex, Latonæ Fili, longe jaculans, Phœbe potens,
Omnia cernens, mortalibus & immortalibus imperans,
Sol, aureis sublate alis,
Duodecimam hancce flagrantem vocem audi
Te ipso dictante. Te vero ipsum, longe jaculans, testem voco.

Et alios plures de his dixit versus. Dicit autem, post hos allegatos versus, quod peractis precibus audiverit illa de Theogonia & Mundi Creatione, & deinde conscripserit. Sed omittuntur hic, propter Versuum multitudinem. Ait autem inter alia & hæc: Quod ab initio; Mundo apparuerit Æther, a Deo creatus: ab omni vero Ætheris parte, erat Chaos & Nox obscura, omniaque, quæ sub Æthere erant, occultavit: indicans, Noctem fuisse Primum. Dicit autem in sua Expositione: Incomprehensibilem Quendam esse, & Summum omnium rerum, Prioremque & Creatorem omnium, ipsius etiam Ætheris, & omnium illorum, quæ sub Æthere sunt. Terram autem docet sub tenebris invisibilem fuisse: pergitque, Lucem, quæ Ætherem perruperit, illustrasse universum Mundum: adjungens, hanc Lucem, quæ Æthera perruperit, esse ipsum illud, ante dictum, SVMMVM. *Cujus Nomen idem Orpheus se divinitus audivisse perhibet, esseque,* ΜΗΤΙΣ, *(quod est CONSILIVM)* ΦΩΣ, *LVX,* ΖΩΟΔΟΤΗΡ, *VITÆ LARGITOR. Tum in eadem Expositione dixit; has tres divinas horum Nominum Potentias, Vnam esse Potentiam & unam Virtutem, Deum, quem nemo videt: cujus Potentiæ nemo possit intelligere Ideam aut Naturam. Ex ipsa autem illa Potentia omnia facta esse, Principia incorporea, Solem, &*

Lunam, & Poteſtatem, & Aſtra omnia, Terram & Mare, & omnia qvæ in iis videntur & non videntur. Genus Hominum autem dixit ab eodem Deo formatum fuiſſe ex Terra, & ab eodem accepiſſe Animam Rationalem, qvemadmodum & Moſes docuit. Idem etiam Orpheus, eodem Libro, ſcripſit, qvod per hæc ipſa tria Nomina Vnius Dei, omnia facta ſint, & Illum eſſe omnia. De miſera autem Humani Generis conditione, Idem Orpheus plures verſus poetice compoſuit: ex qvibus & hi ſunt:

Feræ & Aves, Hominumqve peccaminoſa turba,
Pondera Terræ, Simulacra fabrefacta, nec qvicqvam boni
Scientes, neqve malum approperans intelligentes
Nec cati imminentem avertere peſtem,
Nec qvicqvam præſentis etiam boni advertere aut facere
Periti, ſed fruſtra imperiti, improvidi.

Et alios qvamplurimos, de Humano Genere Verſus compoſuit idem Sapientiſſimus Orpheus. Hæc Timotheus Chronographus conſcripſit; innuens Orpheum ante tantum jam tempus docuiſſe Trinitatem in Vna Eſſentia, creaſſe omnia.

Egregium ſane Fragmentum, & dignum, qvod Magni *Scaligeri* Elogium reportaret: ſi qvidem *Timotheus* ille, Ordinem, qvem Auctor hujus Theogoniæ tenuerat, qvemqve aliunde didicimus; fideliter ſervaviſſet. At vero, cum non alium in finem hæc ita conſignaverit, qvam ut perſvaderet Lectoribus ſuis, Orpheum jam docuiſſe, Trinitatem, in Vna Eſſentia, creaſſe Omnia, qvod *Cedrenus* ſub finem indicat; tum etiam, ut oſtenderet, Orpheum, dum Mundi Creationem doceret, a Moſaicis traditionibus parum, aut nihil diſcrepare: Ea tantum ex Orphica Theogonia hinc, inde, decerpſit; qvæ aliqvo modo

do huic Fini ſervire poterant: Cæteris, & Rem Ipſam proprie concernentibus, neglectis. Qvod ipſe non diſſimulat *Timotheus*, dum ubivis ita loqvitur, ut qvi ultro moneret Lectorem, ne Ordinem in hac Narratione qværat; ſingulas fere Narrationis Partes inchoans iis verbis: λέγει δὲ περὶ τοῖς ἄλλοις καὶ ταῦτα. Εἰρηκὼς ἐν τῇ αὐτοῦ ἐκθέσει. Τὴν δὲ γῆν εἶπεν. Ἔφρασε δὲ. Εἶπεν ἐν τῇ αὐτοῦ ἐκθέσει. Εἰπὼν, ἐκεῖνο εἶναι τὸ Φῶς &c. Si qvis igitur ex Hoc Solo Fragmento, totam Doctrinam Orphicam, de Mundi Origine, aut ſaltem inſigniorem ejus Partem exſculpi poſſe arbitraretur; Næ Is multum ſe ipſum falleret. Iſtud qvidem facile mihi perſvadeo, in annotandis ſummis & palmariis Capitibus hujus Libri Orphici, Timotheum non falſum eſſe: Qvod nempe in Eo docuerit Auctor, Θεογονίας, καὶ Κόσμου Κτίσιν, καὶ Ἀνθρώπων Πλαστουργίαν: Cum hæc Argumenta invicem ita conjuncta ſint; ut alterum ſine altero commode tractari vix poſſit; & *Heſiodus* qvoqve, in ſua Theogonia, hæc conjunxerit. Sed & Gratiæ habendæ ſunt *Timotheo*, qvod priores qvinqve Verſus, adeoqve *Initium Libri*, cum aliis inde decerptis, nobis ſervaverit: Qvos, absqve eo eſſet; hodie fortasſis fruſtra alibi qværeremus. Qvod autem poſt hæc, inchoat narrare; Iſtud qvidem Ἀκέφαλον eſt: nec Mundi Productionem, qvam qvis hic exſpectare poſſet; ſed Mundum jam productum, & propemodum abſolutum, in priori Narrationis parte, docet. Nam, τῷ Κόσμῳ jam producto, ἀνεδείχθη, ut ille qvidem perhibet, ὁ Αἰθήρ. Tota itaqve Doctrina decantatiſſima *Orphei*, de *Ovo Primigenio*, ex qvo Ille Vniverſum educit; qvamqve alibi ex *Proclo* retulimus; hic omiſſa eſt: Et, dubio procul, ἐν τοῖς ἄλλοις iſtis; qvæ ſe omiſiſſe, *Timotheus* ipſe fatetur. Porro, ea, qvæ de *Æthere*, *Chao* & *Nocte* addit, ejusmodi ſunt; ut ex illis colligere poſſis, *Orpheum* qvidem ea pro Principiis Mundi habuiſſe; interim tamen a *Timotheo*, ex ante omiſſis, ideo huc repetita; ut oſtenderet, *Orpheum* cum *Moſe*, idem de Nocte docuiſſe: eam ſcilicet τῷ χάει προηγεῖσθαι. Nam ex

Orphei Doctrinâ, *Æther* & *Chaos*, Ovum generarunt: *Nox*, excluſit. Itaqve dubio procul *Auctor Theogoniæ*, de his Tribus Principiis, primum & ſub Initium Operis egit. Poſt excluſionem autem Ovi, de Æthere demum dici potuit, ὅτι ἀνεδείχθη τῷ Κόσμῳ. Sed & ea, qvæ poſt hæc, de Προγενεστέρῳ καὶ Δημιουργῷ ſubjungit; manifeſto ad Priora, & ante a *Timotheo* Omiſſa, pertinent: Et Φάνητα reſpiciunt: Qvi & Ovum perrupiſſe, & primus omnium, ex Ovo prorupiſſe, perhibebatur ab *Orpheo*. Itaqve & hac in parte, Ordo Narrationis Orphicæ turbatus apparet. Sed multo turbatior in ſeqventibus. Nam, qvæ de Terra profert, ὑπὸ τοῦ σκότους ἀοράτῳ, nec cum prioribus, nec cum ſeqventibus cohærent, & temere aliunde huc infarta: Non alium in Finem, qvam ut & circa hæc, Harmoniam qvandam inter *Orpheum* & *Moyſen* inculcaret. Mox autem, omnia miſcet ac turbat: *Phaneta* & Ζῆνα Orphei, absqve ulla καταπόσει prævia, imperite confundens: Etenim τὸ φῶς ῥῆξαν τὸν Αἰθέρα, (verius ῥῆξαν τὸ Ὠὸν) *Phanes* eſt, ante Κατάποσιν: Cui competebant Cognomina, Μῆτις & Φῶς· Ζωοδοτὴρ autem; *Jupiter* eſt; qvi poſt Κατάποσιν τοῦ Φάνητος, πάντας τὰς τρεῖς θείας τῶν ὀνομάτων δυνάμεις ſimul obtinuit & poſſedit; & Μία Δύναμις, Ἓν Κράτος, Θεὸς, ὃν οὐδεὶς ὁρᾷ, deinceps celebratus eſt: Cui demum ea, qvæ porro ſubjungit *Timotheus*, competunt. Vt adeo ex toto hoc Fragmento, Veri, & ad præſens Argumentum pertinentis, exſculpere nihil poſſis; niſi id, qvod ex Orphei Sententia, Æther, Chaos, Nox, Prima Mundi Principia fuerint. Qvod tamen aliunde clarius, & manifeſtius ſciri poteſt. Cætera ita comparata ſunt; ut potius Tenebras offundere, lectori, qvam Lucem dare, in re tam abdita & ob vetuſtatem fere obliterata, idonea ſint. Niſi forte ob iſtud etiam Gratia *Timotheo* referenda ſit, qvod aliqvot Verſus præclari hujus qvondam Poëmatis, nobis, ſuo hoc Studio, uti diximus, ſervaverit.

Aliam,

Aliam, & huic Argumento aptiorem τῆς τοῦ Ὀρφέως Κοσμογονίας τε καὶ Θεογονίας, saltem qvoad Prima Capita, σύνοψιν, exhibet *Athenagoras*, Legatione sua περὶ Χριστιανῶν. Vbi, Vanitatem Deorum Gentilium arguens; inter alia hæc ponit.

Οὐκ ἐξ ἀρχῆς ἦσαν οἱ θεοὶ, ἀλλ᾽ οὕτως γέγονεν αὐτῶν ἕκαστος, ὡς γιγνόμεθα ἡμεῖς. Καὶ τοῦτο πᾶσιν αὐτοῖς ξυμφωνεῖ. Ὁμήρου μὲν γὰρ λέγοντος.

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.

Ὀρφέως δὲ, (ὃς καὶ τὰ ὀνόματα αὐτῶν πρῶτος ἐξεῦρεν, καὶ τὰς γενέσεις διεξῆλθε, καὶ ὅσα ἑκάστοις πέπρακται εἶπε, καὶ πεπίστευται παρ᾽ αὐτοῖς ἀληθέστερον θεολογεῖν· ᾧ καὶ Ὅμηρος τὰ πολλὰ, καὶ περὶ θεῶν μάλιστα ἕπεται) καὶ αὐτοῦ τὴν πρώτην γένεσιν αὐτῶν ἐξ ὕδατος συνιστάντος.

Ὠκεανὸς, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.

Ἦν γὰρ ὕδωρ ἀρχὴ κατ᾽ αὐτὸν τοῖς ὅλοις· ἀπὸ δὲ τοῦ ὕδατος, Ἰλὺς κατέστη. Ἐκ δὲ ἑκατέρων ἐγεννήθη Ζῶον Δράκων, προσπεφυκυῖαν ἔχων κεφαλὴν λέοντος, διὰ μέσου δὲ αὐτῶν, θεοῦ πρόσωπον· ὄνομα, ΗΡΑΚΛΗΣ καὶ ΧΡΟΝΟΣ. Οὗτος ὁ Ἡρακλῆς ἐγέννησεν ὑπερμέγεθες Ὠὸν· ὃ συμπληρούμενον ὑπὸ βίας τοῦ γεγεννηκότος, ἐκ παρατριβῆς εἰς δύο ἐρράγη. Τὸ μὲν οὖν κατὰ κορυφὴν αὐτοῦ, Οὐρανὸς εἶναι ἐτελέσθη· τὸ δὲ κάτω κατενεχθὲν, Γῆ. Προῆλθε δὲ καὶ θεὸς Γῆ, διὰ σώματος. Οὐρανὸς δὲ Γῇ μιχθεὶς, γεννᾷ θηλείας μέν. Κλωθὼ, Λάχεσιν, Ἄτροπον· Ἄνδρας δὲ ἑκατόγχειρας. Κόττον, Γύγην, Βριάρεων· καὶ Κύκλωπας, Βρόντην, καὶ Στερόπην, καὶ Ἄργον. Οὓς καὶ δήσας, κατεταρτάρωσεν· ἐκπεσεῖσθαι αὐτὸν ὑπὸ παίδων τῆς ἀρχῆς μαθών. Διὸ καὶ ὀργισθεῖσα ἡ Γῆ, τοὺς Τιτᾶνας ἐγέννησε

Κούρους δ᾽ οὐρανίωνας ἐγείνατο πότνια Γαῖα,
Οὓς δὴ καὶ Τιτῆνας ἐπίκλησιν καλέουσιν·
Οὕνεκα τισάσθην μέγαν οὐρανὸν ἀστερόεντα.

Αὕτη ἀρχὴ γενέσεως περὶ τοὺς κατ᾽ αὐτοὺς θεούς τε καὶ τῷ παντί.

Non ab initio Dii erant, sed unusqvisq; natus est, ut & nos nascimur: idqve inter omnes ipsos ita convenit. Sic enim Homerus ait. Oceanumq; Deum patrem, & Tethyn genetricem. Etiam Orpheo ipso (qvi & Nomina eorum Primus invenit, & nativitates exposuit, &, qvid qvisqve egerit, dixit: &, qvæ ad Theologiam pertinent, sincerius executus creditur: Qvem & Homerus plerumq;, ac maxime, qvantum ad Deos attinet, seqvi solet) primam eorum generationem ex aqva constituente:

Oceanus, qvi Dis cunctis generatio factus.

Erat enim, secundum ipsum, rerum principium, Aqva. Ex aqva autem, Limus factus est. Ex utroqve, natum est Animal, Draco; qvi adnatum sibi habebat caput alterum Leonis: Et inter hæc duo, medium Dei vultum. Ejus Nomen erat Hercules & Tempus. Hic Hercules, Ovum prægrande peperit: qvod, ubi completum fuisset, propter violentiam Parentis, ex attritu disruptum est in partes duas. Atqve ea qvidem pars ejus, qvæ sursum vergebat: Cælum facta est; ea vero, qvæ deorsum, Terra. Evasit autem Dea Terra, per Corpus. Cœlus porro, cum Terra congressus; generat Fœmellas: Clotho, Lachesin, Atropon. Viros, Centimanos: Cottyn, Gygen, Briareum. Et Cyclopas: Bronten & Steropen & Argum. Qvos etiam colligatos ad Tartarum detrusit: cum ipse intellexisset; se per filios regno exturbatum iri. Ideoq;, irata Terra, Titanas peperit:

Qvin & Cœlidas Tellus parit inclyta natos:
Qvos & Titanas facto cognomine dicunt;
Qvod mala stelligero fecissent plurima cœlo.

Hoc principium Generationis est eorum Diis, & Universo Mundo.

Habe-

Habemus in hoc Argumento, Prima *Initia:* Mundi ſimul & Deorum Ἐγκοσμίων. Habemus *Ovum*, & Mundi & Deorum, nondum productorum, Commune Receptaculum. Sed *Parentes* Ovi ipſius, hic longe alii afferuntur, ac alias, ex *Orphei* ſententia, communiter conſtitui ſolent. *Proclus*, & omnes, qvi Ovum iſtud Orphicum prædicant; *Æthera* & *Chaos*, Parentes ejus agnoſcunt. Hic, *Animal*, aut Monſtrum potius Τρικέφαλον, qvod propriam qvoqve Originem habuerit ex Aqva & Limo, pro Parente Ovi venditatur. Interim & *Illi*, & *Athenagoras*, nihil a Veritate, aut Orphei Doctrina, alienum nobis exponunt. Qvod, qva ratione a nobis dicatur; obſervandum: Orpheum, Geminum ſibi formaſſe κόσμον: Νοητὸν & Αἰσθητόν. Neutrum ex ſe ipſo ortum; ſed Vtrumqve aliunde ortum & productum. Νοητὸς Κόσμος, Illi nihil aliud eſt, qvam Complexus Idearum Omnium Demiurgicarum, a Mente illa Divina Summa, & κατ' ἐξοχὴν ita dicta, profectarum: & in τὰ κοσμικὰ deſtinatarum. Qvem complexum, Deum fecit *Orpheus*, & *Phaneta* appellavit. Τρίτον τῶν Νοητῶν Θεῶν' Παραδειγματικὴν αἰτίαν τοῦ Αἰσθητοῦ Κόσμου· Δημιουργὸν Πρῶτον τῆς ὕλης. Hunc ut produceret; *Ovum* finxit, ex *Abſtractis* Cauſſis & Principiis ortum & excluſum: *Æthere*, *Chao*, *Nocte*: Et ex illo, hunc *Phaneta*, aut hunc Mundum Νοητὸν, protulit, eo modo, qvem alibi indicavimus. Αἰσθητὸς igitur Κόσμος, Εἰκὼν τοῦ Νοητοῦ Παραδείγματος, producendus reſtabat; & ad ſimilitudinem Illius, Divinitatibus ſuis replendus. Proprium Argumentum Theogoniæ. Itaqve, ut veri Εἰκόνος leges, rite impleret hic Αἰσθητὸς Κόσμος; Ipſe etiam ex *Ovo* originem habere debuit. Ex *Ovo* igitur educitur: Sed alio *Parente*, nempe ipſo *Phanete*, ſive Νοητῷ Κόσμῳ: Ideis Demiurgicis omnibus, in id, a Summa Mente inſtructo & pleno. Ad qvod adumbrandum, hunc Deum multis & variis, variorum Animalium Capitibus inſignitum finxit *Orpheus*. Secundum *Athenagoram* qvidem, *Draconis*, *Leonis*, & Ipſius *Dei*. Secundum *Proclum*, & alios, *Orphei*

verbis:

verbis: Κριοῦ καὶ Ταύρου Ὄφιος χαροποῦ τε Λέοντος. Qvem *Phaneta*, in hoc qvidem negocio, &, dum in aliqvo, qvod Extra ſe futurum erat, Opere producendo occupatur: tanqvam alium a Se Ipſo conſiderat, *Orpheus*. *Animal* eum fingendo (Qva in re Orpheum imitatus eſt *Plato*, qvi eundem Phaneta δημιουργὸν, Αὐτοζῷον ſæpius in *Timæo* appellat) Cui Geminum Nomen tribuit, ad rem præſentem admodum accommodatum: Χρόνου & Ἡρακλέος. Illud qvidem, ut pote καθ' ὃν, καὶ δι' ὃν, πᾶσα ἡ γένεσις: Hoc autem; ut Vim & Vivacitatem hujus Numinis & Ζωοποιητικὴν ejus Virtutem ſimul indicaret. Ideo autem Duplicem in hoc Αὐτοζώῳ Virtutem notat, eamqve Duplici Nomine ſignat; ut & inde novam qvandam Similitudinem hujus Ovi εἰκονικοῦ, ad iſtud prius παραδειγματικὸν inducat. Qvemadmodum enim illud prius *Ovum*, binos *Parentes* habuit, *Æthera* & *Chaos*: Ex qvibus *Æther*, *Patris*; *Chaos*, *Matris* vice fungerentur: Ita cum hoc *Ovum*, ſua natura, non niſi Vnum Eundemqve Parentem habere potuiſſet; binas diverſas *Virtutes*, ejusdem Parentis, tanqvam bina Principia diverſa hujus Ovi poſuit; qvorum alterum Patrem, alterum Matrem ejus referret: Et χρόνος qvidem *Patris*; *Matris* vero partes, *Hercules* ille θεῖος impleret. Ad qvas binas Virtutes, ſimulqve hanc Generationem τοῦ Αἰσθητοῦ Κόσμου, Phanetis, reſpiciens alibi *Orpheus*; communem ei Sexum tribuit, τὸ θῆλυ ſcilicet, & τὸ ἄῤῥεν·

Θῆλυς καὶ γενέτωρ κραταιὸς Θεὸς Ἠρικεπαῖος.

Deniqve, cum prius iſtud Ovum, a *Nocte*, Tertio Principio excluſum fuerit; Hoc autem a Deo ipſo Parente, *Hercule*; Vt & hic, Tertium qvoddam Principium, præter Χρόνον & Herculem, compareret: *Aqvam* adſumſit *Orpheus*, Αἰσθητὸν itidem; Vt omnia, in tota Ὑποθέσει ſibi reſponderent: aut potius Ἰλύν. Non qvidem immediatum τοῦ Ὠοῦ Principium: Omne enim ex Parente Νοητῷ habuit: Sed ipſius Parentis, tanqvam Ζῷον aut Αὐτοζῷον,

Ἀυτοζῶον, heic conſiderati. In qva Conſideratione, *Aqva*, *Ætheri*; Ἰλὺς, *Chao*, aut τῇ Ὕλῃ; Veris, Primi Ovi Principiis; reſponderet. Atqve ita Orpheus, Vtrumqve Mundum, Νοητὸν & Ἀισθητὸν, ex *Ovo* produxit: Vtrumqve, ex Tali, talibusqve Principiis & Parentibus conſtante, & orto, *Ovo*; qvalia Productis maxime conveniebant, eorumq; Naturæ proprie reſpondebant. Vt adeo *Athenagoras* nihil a vera Orphei doctrina alienum pronunciaverit; dum alia Ovi hujus Orphici Principia retulit, ac *Proclus*, *Timotheus*, Aliiqve. Hic enim τῦ Ἀισθητῦ κόσμυ ex Ovo Γένεσιν, ad mentem, & ex *Theogonia Orphei*, retulit: qvod & Argumentum, in qvo verſabatur, dum hæc ſcriberet, poſcebat: Illi autem τῦ Νοητῦ & Παραδειγματικῦ Κόσμυ, ſeu ipſius τῦ Φάνητος, ex Ovo Γένεσιν, ex Ejusdem *Orphei* Doctrina, Eodemqve opere; qvod *Timothei* adducta Narratio docet; retulerunt & explicarunt.

Et hoc erat Argumentum Κοσμογονίας Orphicæ, Summum & Primum Caput Θεογονίας; poſt Illam, in hoc præſenti Opere, expoſitæ. Geminum ſcilicet Ovum: Ex qvorum primo, Κόσμος Νοητὸς, Πρωτόγονος Φάνης, prodierit. Ex altero autem Κόσμος Ἀισθητὸς, a Phanete Ipſo, formatus. Ex qvibus apparet: Primam hujus Operis Partem, qvæ Κόσμυ Κτίσιν docebat; in Binas qvaſi Sectiones diviſam fuiſſe; qvarum Prima, *Phanetis* ex *Ovo* Originem complexa fuerit: qvam *Timotheus* inſpexit. Altera, Mundi Ipſius Ἀισθητῦ Hujus, itidem ex *Ovo*, Vi & Virtute Phanetis, productionem & Γένεσιν docuerit: cujus Σύνοψιν *Athenagoras* retulit.

Nunc, ut porro Orpheus, in ſua Theogonia, Omnes Deorum Ordines, ab hoc Phanete deduxerit; inqvirendum, qvantum qvidem fieri a nobis poteſt, reſtat. Qvod, ut ex Mente & Doctrina *Orphei* fiat: Notandum Primo, Eum per Θεῶν Γενέσεις, nihil aliud intellexiſſe, qvam τὴν Ἄρρητον αὐτῶν Πρόοδον, καὶ τὴν τῶν δευτέρων Ἐτερότητα, πρὸς τὰς Αἰτίας αὐτῶν. Secundo;

ut hanc Πρόοδον, in ſe qvidem Ἄῤῥητον, Similitudine tamen aliqva adumbrare poſſet: Eum, ad exemplum Humanæ Generationis, utrumqve Sexum, etiam in Deorum Genus, reſpectu hujus Προόδου, invexiſſe: Omnemqve Generationem, etiam Divinam, ex Communione Maris & Fœminæ, derivaſſe. De qvo prolixius actum eſt, in Capite Περὶ Διὸς καὶ Ἥρας. Jam vero *Orpheus*, *Phaneta* ſuum, Μόνον παράγει: nec ei aliam Divinitatem, tanqvam Conjugem, adjungit. Et nihilominus Ἀπὸ κρυφίως ὄντος Θεοῦ τούτου, τὰ Πάντα deducit, καὶ ἀπὸ τούτου πάσας ὑφίστησι τὰς δευτέρας Τάξεις τῶν Θεῶν. Id, ut præſtare poſſet; Orpheus ei *Noctem*, Nutricem ſuam, adjungit: cum qva Primos, & reliqvorum omnium Parentes, Deos; *COELVM* & *TERRAM*, e Putaminibus Ovi diſrupti, producit & abſolvit. Qvod negocium, cum Generationem nihilominus redoleret; talemqve qvendam actum referret: Nec *Orpheus* valde repugnavit, ſi qvis forte ita interpretari vellet. Ideo de *Phanete*, in his occupato; citante *Proclo*, dixit: Ὅτι μὲν ὁ Φάνης τῆς Νυκτὸς ἀφείλετο κήριμον ἄνθος. Sed, qvod & hic obſervandum: per hoc *Primum Cælum*, & *Primam Terram*, *Orpheus* non intellexit Cœlum Ἔμπυρον, aut qvodvis aliud Αἰσθητὸν: neque Noſtram hanc Tellurem, σωματοειδῆ καὶ παχὺν τοῦτον Φαινόμενον Ὄγκον: Sed Terram Νοερὰν & Cœlum Νοερὸν, ad Exemplum τοῦ Νοητοῦ Οὐρανοῦ καὶ Γῆς Νοητῆς, i. e. Ideæ illius Divinæ, circa Cœlum & Terram, in Phanete reſidentis, qvam proxime accedentes. De qva Cœleſti Terra & Νοερᾶ, legi meretur *Proclus* Lib. IV. in Timæum Platonis. Cujusqve Geneſin dedit *Orpheus*, in Theogonia ſua, his verbis: citante

ATHENAGORA.

Legat. I. pro Chriſtianis:

Ἂν δὲ Φάνης ἄλλην γενεὴν τεκνώσατο δεινὴν,
Νηδύος ἐξ ἱερῆς προσιδεῖν, Φοβερωπὸν Ἔχιδναν.

Ἧς χαίτῃ μὲν ἀπὸ κρατὸς, καλλόντε προσώπου
Ἦν ἐσιδεῖν τὰ δὲ λοιπὰ μέρη φοβεροῖο δράκοντος
Αὐχένος ἐξ ἄκρου — —

Gesnero Interprete.

Progeniemq; Phanes aliam suscepit acerbam,
Ex utero Sacro, specie terrente draconis.
Crinis erat capiti, faciesq; decora superne:
Vipereum corpus reliqvum, visuqve tremendum.

Hunc autem παχὺν ὄγκον nostrum, Pigramqve hanc Tellurem; ab illa demum Cœlesti & Νοερᾷ Terra prognatam fuisse; *Orpheus* docuit eo Versu, qvem legas apud

PROCLVM.

Lib. I. in Timæum Platonis.

Ἡ δὲ πάλιν Γαῖάν τε καὶ Οὐρανὸν εὐρὺν ἔτικτε.

Hæc autem rursus aliam Terram & latum Cœlum peperit.

Cœlum autem ita, tanqvam prior qvædam Caussa Cœli: nam, Eodem Libro, huic Elementari Terræ, partus Cœli stellati adscribitur ab *Orpheo*, apud

STOBÆVM
in Eclogis Physicis.

Γαῖα δέ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο Ἶσον ἑαυτῇ
Οὐρανὸν ἀστερόενθ᾽, ἵνα μιν περὶ πάντα καλύπτοι
Ὄς ῥ᾽ εἴη μακάρεσσι θεοῖς ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί.

At Tellus primum partu sibi portulit æqvum
Cælum stellatum, qvod eam tegat undiq; sursum
Qvod sedes sit firma Deis cælestibus usqve.

Ex his, porro, *Cælo* Νοερῷ, & *Terra* Νοερᾷ, Omnem reliqvam Deorum Propaginem deducit & derivat *Orpheus*. Et qvidem, præter Terræ & Cœli, ἀσθητῶν, Γενέσεις; alios deinceps *Partus Terræ* Νοερᾶς recenset, his verbis, apud

ATHENAGORAM. & PROCLVM

Libro V. in Timæum Platonis.

Ἑπτὰ μὲν εὐειδεῖς κούρας, ἑλικώπιδας, ἁγνάς,
Ἑπτὰ δὲ παῖδας ἄνακτας, ἐγείνατο λαχνήεντας·
Θυγατέρας μὲν τίκτε, Θέμιν, καὶ εὔφρονα Τηθὺν,
Μνημασύνην τε βαθυπλόκαμον, Θείαν τε μάκαιραν
Ἠδὲ Διώνην τίκτεν, ἀριπρεπὲς εἶδος ἔχουσαν.
Φοίβην τε, Ῥείην τε, Διὸς γενέτειραν ἄνακτος.
Κούρους δ' οὐρανίωνας ἐγείνατο πότνια Γαῖα,
Οὓς δὴ καὶ Τιτῆνας ἐπίκλησιν καλέουσιν·
Οὕνεκα τισάσθην μέγαν Οὐρανὸν ἀστερόεντα·
Κοῖόν τε Κροῖόν τε μέγαν, Φόρκυν τε κρατερὸν,
Καὶ Κρόνον, Ὠκεανόν θ' Ὑπερίονά τ' Ἰαπετόν τε.

Septem qvidem formosas puellas, volubilibus oculis insignes, puras,
Septemq; Filios Reges peperit Juvenes:
Filias qvidem, Themin, & prudentem Tethyn,
Mnemosyneq; cincinnatam, Theamq; beatam.
Dionem qvoq; peperit, insigni forma præditam,
Phœbenq;, & Rheam, Jovis Regis Matrem.
Filios verò cœlidas genuit incluta Terra,
Qvos etiam Titanas cognomine vocant.

Qvod

Qvod ulti ſunt Cœlum magnum ſtellatum:
Cæum, Crœumq; magnum, robuſtumq; Phorcyn,
Et Saturnum, & Oceanum, Hyperionemq; & Japetum.

Tum inſuper, alios Deos Deasqve, ejusdem *Terræ* progeniem, in adducto ſupra Loco, refert *Athenagoras*: Οὐρανὸς δὲ, inqvit: Γῇ μιχθεὶς, γεννᾷ θήλειας μὲν Κλωθὼ, Λάχεσιν, Ἄτροπον· Ἄνδρας δὲ ἑκατόγχειρας· Κόττυν, Γύην, Βριάρεων. Καὶ Κύκλωπας· Βρόντην, καὶ Στερόπην, καὶ Ἄργον· Οὓς καὶ δήσας, κατεταρτάρωσεν· ἐκπεσεῖσθαι αὐτὸν ὑπὸ παίδων τῆς ἀρχῆς μαθών· Διὸ καὶ ὀργισθεῖσα ἡ Γῆ, τοὺς Τιτᾶνας ἐγέννησε. Qvin & *Æglen*, *Heſperethuſam*, & *Erithyiam*, Deas, Terram, Matrem agnoſcere; ex *Orpheo*, docet *Proclus*. Lib. IV. in Timæum Platonis: Ἐπειδὴ δὲ καὶ ἐκείνη, (Γῆ,) πρὸ τῶν ἄλλων, Αἴγλην τε καὶ τὴν Ἑσπερέθουσαν, καὶ τὴν Ἐρύθειαν ἀπογεννησ. Qvo Loco, & *Diei* & *Noctis* Matrem, eandem Terram aſſerit & probat.

Hunc, Cœlum, excipit *SATVRNVS* apud *Orpheum*. Qvem itidem varium deſcribit *Proclus*. Lib. IV. in Timæum: cui adjungebat, *RHEAM*, πάσης τῆς Κρονίας δυνάμεως κόλπον. Qvem Saturnum, cur Theologi, in Theogoniis ſuis, Primum Deorum communiter fecerint, & τὸ Πρῶτον appellaverint; docet *Proclus*. Lib. II. in Timæum: Οἱ δέ γε Θεολόγοι, inqviens, ἵνα αἱ γενέσεις αὐτοῖς κατὰ λόγον πλάττωνται τῶν Θεῶν, Κρόνον, τὸ πρῶτον, ἐπωνόμασαν, ὡς δέοντος, ὅπου γένεσίς ἐστιν, ἐκεῖ προηγεῖσθαι χρόνον, καθ' ὃν, ἡ γένεσις, καὶ δι' ὃν. De hoc *Saturno*, ex *Orphei Theogonia*,

LACTANTIVS.

Libro. I. de Falſa Religione.

Πρώτιστος μὲν ἄνασσεν ἐπιχθονίων Κρόνος ἀνδρῶν
Ἐκ δὲ Κρόνου γένετ' αὐτὸς ἄναξ μέγας εὐρυόπα Ζεύς.

Primus qvidem imperium in homines exercuit Saturnus:
E Saturno autem Jupiter omnipotens natus eſt, Rex item magnus.

Sed & *Amoris*, eundem Deum, Parentem agnoſcit *Orpheus*, apud

SCHOLIASTEN APOLLONII.
ad Lib. III.

Αὐτὰρ Ἔρωτα Κρόνος, καὶ Πνεύματα πάντ' ἐτέκνωσε.

At Saturnus Amorem, & omnes Spiritus genuit.

Inſuper, & *Veſtæ*, & *Junonis* & *Naturæ* qvoqve Patrem, Saturnum, Celebraſſe *Orpheum*, docet *Proclus*, Lib. III. in Timæum.

Hujus Frater, OCEANVS; TETHYN, Πρεσβυτάτην Θεῶν, & Πρόγονον dictam, ſociam habet; De qvibus binis Numinibus, eorumqve varia poteſtate, per totum Vniverſum, lectu digniſſima ſunt, qvæ docet *Proclus*, Lib. V. in Timæum Platonis. Et de qvibus Fragmentum ex *Theogonia Orphei* ſervavit nobis

PLATO,
in Cratylo;

Ὠκεανὸς πρῶτος καλλίρροος ἦρξε γάμοιο
Ὅς ῥα κασιγνήτην ὁμομήτορα Τηθὺν ὄπυιεν.

Oceanus primus pulchrifluum inchoavit conjugium:
Qvi cum Tethy, germana ſua, ſe commiſcuit.

ATHE-

ATHENAGORAS.

Loco citato.

Ὠκεανὸς, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.

Oceanus, qvi Dis cunctis generatio factus.

Qvod, qva ratione dictum sit, & ut intelligendum; exponit *Proclus*, Libro citato. *Mnemosyne* supereſt, ex *Rhea* filiabus, qvam *Matrem Muſarum* agnoviſſe *Orpheum*, evincere conatur ex Fragmento ſupra, Capite περὶ Κρατήρων adducto, *Johannes Diaconus*, in Allegoriis Heſiodi.

JUPITER, Summus Deorum, Saturni Filius, ſeqvitur. De qvo, qvantum ad præſens negocium attinet, conſtat; ex *Orphei* Sententia, eum *Palladem* e Cerebro, *Dionyſum* vero e Femore ſuo procreaſſe. Illam qvidem, *Orphei* verbis:

Ὅπλοις λαμπομένην, χαλκήϊον ἄνθος ἰδέσθαι.

Armis ſplendentem, æreo flore ſimilem.

Hic autem, ſecundum *Orpheum*, citante

PROCLO

Libro I. in Timæum.

— — Γλυκερόν τε τέκος Διὸς ἐξεκαλεῖτο.

Charus Jovis Filius vocatus eſt.

Præter has, & alias, ſine dubio, Proles, qvas Jovi *Orpheus* aſſignaverat; Εἱμαρμένην qvoqve eum ἐκ τῆς Ἀνάγκης genuiſſe, ex *Eodem*, docet *Proclus*, Lib. V. in Timæum: Καὶ γὰρ ὁ Ζεὺς, ὡς ὁ Ὀρφεύς φησι, τρέφεται μὲν ἀπὸ Ἀδραστείας σύνεστι καὶ τῇ Ἀνάγκῃ γεννᾷ δὲ τὴν Εἱμαρμένην. Et exponit Fabulam: ὥσπερ ἡ Ἀδράστεια

σεια τῶν θείων ἣν περιεκτικὴ δεσμῶν, καὶ τῶν παντοίων νόμων συναγωγός; οὕτω δὴ καὶ ἡ Εἱμαρμένη, πάντων ἐστὶ περιεκτικὴ τῶν ἐγκοσμίων νόμων. οὓς καὶ νῦν ὁ Δημιουργὸς ἐγγράφει ταῖς ψυχαῖς, ἵνα καὶ αὐτὰς ἄγωσι μετὰ τῶν ὅλων, καὶ ἀφορίζωσι τὸ πρέπον ἑαυταῖς, κατὰ τὰς διαφόρους αἱρέσεις τῶν βίων.

Et huc usqve qvidem, Primos & Principies Deorum Orphicorum, qvos ille Βασιλεῖς τῶν θεῶν prædicaverat; e Ruinis qvaſi, aliqvo modo, eruimus, ſuſcitavimus. De qvibus, temperare mihi non poſſum, qvin inſignem Locum *Procli*, Libro V. in Timæum Platonis, e Codice Auguſtano, antiqva & eleganti Manu exarato, in Lectoris benevoli & ſtudioſi, profecto, gratiam proferam: utpote in qvo, Ingens Momentum Theologiæ Paganæ, reconditum eſt: qvod ii, qvi excuſas Editiones hujus Scripti poſſident, prolixius, & forte clarius expoſitum ibi invenient, ac ego; qvi non ſine gravi indignatione, hoc ſolo in loco, qvod meum eſt infortunium, mutilum & lacunoſum, excellentiſſimum alioqvi & integerrimum laudatum Codicem, expertus ſum. Hæc autem ſunt, qvæ ibi notanda reperi: Ῥητέον δ᾽ οὖν τοῦτον τὸν τρόπον ὅτι Πυθαγόρειος ὢν ὁ Τίμαιος, ἕπεται ταῖς Πυθαγορείων ἀρχαῖς. Αὗται δέ εἰσιν αἱ Ὀρφικαὶ παραδόσεις. Ἃ γὰρ Ὀρφεὺς δι᾽ ἀποῤῥήτων λόγων μυστικῶν παραδέδωκε, ταῦτα Πυθαγόρας ἐξέμαθεν, ὀργιασθεὶς ἐν Λεβήθροις τοῖς θρακίοις, Ἀγλαοφάμου τελεστοῦ μεταδόντος. Ἣν περὶ θεῶν Ὀρφεὺς σοφίαν, παρὰ Καλλιόπης τῆς μητρὸς ἐπινύσθη. Ταῦτα γάρ φησιν ὁ Πυθαγόρας ἐν τῷ Ἱερῷ λόγῳ. Τίνες οὖν αἱ Ὀρφικαὶ παραδόσεις, ἐπειδήπερ εἰς ταύτας ἀναφέρειν οἰόμεθα χρῆναι τὴν τοῦ Τιμαίου περὶ θεῶν διδασκαλίαν. Θεῶν Βασιλέας παραδέδωκεν Ὀρφεὺς κατὰ τὸν τέλειον ἀριθμὸν, τῶν ὅλων προεστηκότας. Φάνητα, Νύκτα, Οὐρανὸν, Κρόνον, Δία, Διόνυσον. Πρῶτος γὰρ ὁ Φάνης κατασκευάζει σκῆπτρον, καὶ πρῶτος βασιλεὺς, περικλυτὸς ἠρικεπαῖος. Δευτέρα δὲ ἡ Νὺξ, δεξαμένη παρὰ τοῦ πατρός. Τρίτος δὲ Οὐρανὸς, παρὰ τῆς Νυκτός. Καὶ Τέταρτος, ὁ Κρόνος, βιασάμενος, ὥς φασι, τὸν πατέρα. Καὶ Πέμπτος ὁ Ζεὺς, κρατήσας τοῦ πατρός. καὶ μετὰ τούτων Ἕκτος, ὁ Διόνυσος. Οὗτοι

δὴ

Digitized by Google

δὴ πάντες οἱ βασιλεῖς ἄνωθεν ἀπὸ τῶν νοητῶν καὶ νοερῶν δεξάμενοι Θεῶν, χωροῦσι διὰ τῶν μέσων τάξεων, καὶ ἐς τὸν κόσμον, ἵνα καὶ τὰ τῇδε κοσμήσωσι. Φάνης γὰρ, οὐ μόνον ἐστὶν ἐν τοῖς νοητοῖς, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς νοεροῖς, ἐν τῇ δημιουργικῇ τάξει, καὶ ἐν τοῖς ὑπερκοσμίοις. Καὶ ἐν τοῖς ἐγκοσμίοις. Καὶ Νὺξ, καὶ Οὐρανὸς ὁμοίως. Αἱ γὰρ ἰδιότητες αὐτῶν, διὰ πάντων χωροῦσι τῶν μέσων. Αὐτὸς δὲ ὁ μέγιστος Κρόνος, οὐχὶ καὶ πρὸ τοῦ Διὸς τέτακται, καὶ μετὰ τὴν Δίιον βασιλείαν, μετὰ τῶν ἄλλων Τιτάνων, τὴν Διονυσιακὴν μερίζων δημιουργίαν; Καὶ ἄλλως μὲν ἐν τῷ οὐρανῷ, ἄλλως δὲ ἐν τοῖς ὑπὸ σελήνην, καὶ ἐν μὲν τῇ ἀπλανεῖ ἄλλως, ἐν δὲ ταῖς πλανομέναις ἄλλως. Καὶ Ζεὺς ὁμοίως, καὶ Διόνυσος. Ταῦτα μὲν οὖν καὶ διαῤῥήδην εἴρηται τοῖς παλαιοῖς. Huic Loco, ſi adjungas alium, ex eodem Libro depromtum; in qvo ἡγεμόνας τῶν ὑπὸ σελήνην Deos exponit, ſingulisqve ſuam Virtutem, propriam, aut, ſi mavis, officium deſignat; majorem Lucem circa πολυθεότητα Gentilium, invenies. Eſt autem iſte: ὁ μὲν γὰρ Οὐρανὸς, περατοῖ πᾶσαν τὴν γένεσιν· ἡ δὲ Γῆ, δυναμοῖ· κινεῖ δὲ Ὠκεανὸς· ἑδράζει δὲ ἡ Τηθὺς, ἕκαστον ἐπὶ τῆς ἰδίας κινήσεως, τῆς νοερᾶς, τὰ νοερά· τῆς ψυχικῆς, τὰ μέσα· τῆς φυσικῆς, τὰ σωματικά· τοῦ ὠκεανοῦ πάντα κινοῦντος ἀθρόως. Διερεῖ δὲ νοερῶς μόνον ὁ Κρόνος· Ζωοποιεῖ δὲ ἡ Ῥέα. Λόγοις δὲ σπερματικοῖς ὁ Φόρκυς διακοσμεῖ· Φανερὰ δὲ ἐξ ἀφανῶν, ὁ Ζεὺς ἀποτελεῖ· ἐξελίττει δὲ ἡ Ἥρα, κατὰ παντοίας τῶν ἐμφανῶν μεταβολάς. Καὶ οὕτω δὴ διὰ τῆς ἐννεάδος ταύτης ὁ πᾶς ὑπὸ Σελήνην κόσμος συμπληροῦται καὶ ὑποτέτακται δεόντως. &c. Sed hæc de his. Nunc porro, qvæ de reliqva Deorum turba *Orpheus* in *Theogonia* ſua conſignaverat; cum pleraqve hodie deſiderentur; ea hic ſubjicere animus eſt, qvæ noſtra induſtria hic illic obſervavit.

SCHOLIASTES APOLLONII.

ad Lib. III.

Καὶ τότε δὴ Ἑκάτην Δηὼ τέκεν εὐπατέρειαν.

Tunc qvidem Hecaten nobilem, peperit Ceres,

PROCLVS.
Lib. II. in Timæum.

Διὰ δὴ ταῦτα καὶ ὁ θεολόγος, τῷ Ἡφαίστῳ τὴν Ἀφροδίτην συζεύξας, ὄντως αὐτὸν χαλκεύειν εἴρηκε τὸ πᾶν· καὶ ἂν ἐξ Ἡφαίστου καὶ Ἀγλαΐας, Εὔκλειαν, καὶ Εὐθένιαν ἀποκαλεῖ, καὶ Εὐφήμην, καὶ Φιλοφροσύνην.

CLEMENS ALEXANDRINVS
Lib. VI. Stromat.

Κεῖτ' ἀποδοχμώσας παχὺν αὐχένα, καδδέ μιν ὕπνος
Ἥιρει πανδαμάτωρ.

Atque is obliquus crassa cervice jacebat,
Vt quem cuncta domans jam somnus ceperat.

LACTANTIVS.
Libro I. de Falsa Religione.

Πρωτόγονος Φαέθων, περιμήκεος ἠέρος υἱός.

Primogenitus Phaëthon, immensi Aëris filius.

PLATO, in Philebo, & PLVTARCHVS,
Libello de EI, *Templo Delphico inscripto:*

Ἕκτῃ δ' ἐν γενεᾷ καταπαύσατε κόσμον ἀοιδῆς.

In sexta vero Generatione, Cantilenæ ornatum finite.

Ad ΚΟΣΜΟΥ ΚΤΙΣΙΝ.
PROCLVS.
Lib. I. in Timæum Platonis.

— — Διώρισε δ' ἀνθρώποισι
Χωρὶς ἀπ' ἀθανάτων ναίειν ἕδος, ἧ μέσος ἄξων Ἠελίου

Ηελίε τρέπεται τινεύμενος, ὄυτέ λίην
Ψυχρὸς ὑπὲρ κεφαλῆς, ὄυτ' ἔμπυρος, ἀλλὰ μεσηγίς.

Disterminavit autem Hominibus
Seorsim ab Immortalibus Sedem habitare, ubi medius Axis
Solis vertitur extensus, neque nimis
Frigidus super Caput, neque nimis fervidus, sed temperatus.

CLEMENS ALEXANDRINVS.
Strom. VI.

Ἐστὶν ὕδωρ ψυχῆ, θάνατος δ' ὑδάτεσσιν ἀμοιβή.
Ἐκ δ' ὕδατος γαίη, τὸ δὲ ἐκ γαίης πάλιν ὕδωρ
Ἐκ τοῦ δὲ ψυχή, ὅλον αἰθέρα ἀλλάσσουσα.

Lympha animæ est, sed mors est commutatio lymphis,
Ex Lympha tellus, lympha ex tellure creatur.
Ex illa autem anima est integrum quæ aëra mutat.

Ad ΑΝΘΡΩΠΩΝ ΠΛΑΣΤΟΥΡΓΙΑΝ.
CLEMENS ALEXANDR.
Strom. V.

Θαλλῶν δ' ὅσσαι βροτοῖσιν ἐπὶ χθονὸς ἔργα μέμηλεν
Οὐδὲν ἔχει μίαν αἶσαν ἐπὶ φρεσὶν ἀλλὰ κυκλεῖται
Πάντα πέριξ· στῆναι δὲ καθ' ἓν μέρος ὐ θέμις ἐστὶν
Ἀλλ' ἔχει, αἷς ἤρξαντο, δρόμου μέρος ἶσον ἕκαστος.

Ramorum ast queis sunt hominum terrestria curæ,
Non uno stant Fata loco in mente, omnia circum
Volvuntur, nec fas una est consistere parte,
Sed quam cœperunt cursus partem, omnia servant.

IDEM. *Libro citato.*

Ἀλλ᾽ ἄρα δαίμονές εἰσιν ἐπ᾽ ἀνδράσιν ἄλλοτε ἄλλοι
Οἱ μὲν ἐπερχομένου κακὸν ἀνέρος ἐκλύσασθαι.

Dæmonibus non una viris natura nocendi eſt:
Sunt etenim, longe venientia qui mala pellunt.

TIMOTHEVS CHRONOGRAPHVS, *Fragmento citato.*

Θῆρες τ᾽ οἰωνοί τε, βροτῶν τ᾽ ἀλιτώσια φῦλα,
Ἄχθεα γῆς, εἴδωλα τετυγμένα, μή τέ τι ἐσθλὸν
Εἰδότες, οὔτε κακοῖο προσερχομένοιο νοῆσαι
Φράδμονες, οὔτ᾽ ἐπιὸν μάλ᾽ ἀποστρέψαι κακότητος,
Οὔτ᾽ ἀγαθοῦ παρεόντος ἐπιστρέψαι τι καὶ ἔρξαι
Ἴδριες, ἀλλὰ μάτην ἀδαήμονες, ἀπρονόητοι.

Feræ & Aves, Hominumq; peccaminoſa turba,
Pondera Terræ, Simulacra fabrefacta, nec quicquam boni
Scientes, neq; malum approperans intelligentes
Nec cati imminentem avertere peſtem,
Nec quidquam præſentis etiam boni advertere aut facere
Periti, ſed fruſtra imperiti, improvidi.

ARISTOTELES, *Libro I. Oecon.*

— — Ἱερὰ αἰδῶς
Αὐτῷ, καὶ πλοῦτος μεγαλόφρονος υἱὸς ὀπηδεῖ.

Sancta

Sancta Verecundia
Illum, & Plutus magnanimi viri filius, comitatur.

CLEMENS ALEXANDRINVS.
Strom. VI.

Ὡς ἐ κύντερον ἦν καὶ ῥίγιον ἄλλο γυναικός.
Deterius pejusq; aliud qvam Fœmina, nil est.

PLVTARCHVS.
Sympoſiac. VIII.

- - Ζῶον δ' ἶσον ακροκόμοισι
Φοινίκων ἔρνεσι.

Vitam agebant germinibus ſimilem palmarum
Alte comantium.

PLATO,
Lib. II. de Legibus.

Τῆς τέρψιος ὥραν ἔλαχεν.
Delectationis occaſionem arripiebant.

SEXTVS PHILOSOPHVS,

Ἦν χρόνος, ἡνίκα φῶτες ἀπ' ἀλλήλων βίον εἶχον
Σαρκοδακῆ, κρείττων δὲ τὸν ἥττονα φῶτα δαΐζε.

Erat tempus, cum homines ſeparatam ab invicem vitam agebant
Funeſtam, robuſtior autem infirmiorem virum occiderat.

JOHANN. STOBÆVS,
Serm. LXXVII.

Ζεὺς δ' ἐνορᾷ γονέων ὁπόσοι τίεσι θέμιστας,
Ἠδ' ὅσοι οὐκ ἀλέγουσιν ἀναιδέα θυμὸν ἔχοντες.
Καὶ τοῖς μὲν, πρόφρων τε, καὶ ἤπιος ἐσθλὰ δίδωσι.
Τοῖς δὲ, κακὰ φρονέων νεμεσίζεται εὐμενίδεσσιν·
Δειναὶ γὰρ κατὰ γαῖαν Ἐριννύες εἰσὶ τοκήων.

Jupiter inspicit illos qui colunt jura parentum
Et qui negligunt præ animi impudentia.
Ac illis quidem benignus & mitis, bona largitur:
His vero infensus, indignatur per Furias.
Sunt enim vehementes in Terra Parentum Furiæ.

IDEM.

Εὐσεβέων γὰρ ἀεὶ τὸ τέλος γλυκερώτερόν ἐστι.

Piorum enim finis semper dulcior est.

ΩΟΘΥΤΙΚΑ.

Ἤ

ΩΟΣΚΟΠΙΚΑ.

IMpiam de Mundi Æternitate Opinionem, ſero admodum nonnullorum Philoſophorum Animis irrepſiſſe; conſtans Virorrum Doctorum Obſervatio jam dudum docuit. Et fortaſſis *Ocellus* ille *Lucanus*, Pythagoræ Auditor & Diſcipulus, Primus omnium, perennem, de Creato Mundo, Doctrinam, oppugnare auſus eſt: Qvi, an Ariſtotelem in omnibus ita ὁμόψηφον habuerit; aliis dijudicandum relinqvo. Hoc nemo unqvam negare audebit, Primos illos & Antiqviſſimos Mortales, qvi Sapientiæ Studia Terris invexere, Vnanimi Conſenſu, Ortum Mundi & Initium, agnoviſſe & docuiſſe: cum tot Κοσμογονίαι, & Θεογονίαι, Antiqviſſimorum, *Lini*, *Muſæi*, *Orphei*, *Heſiodi*, & aliorum: Secutæ deinceps apertæ, *Thaletis Mileſii*, *Pherecydis*, *Epimenidis*, *Ariſteæ*, *Eugamnonis*, *Abaridis*, *Antimachi &c.* Doctrinæ, ubivis in Scriptis Veterum decantatiſſimæ, omne omnino Dubium ab hac Veritate ſemoveant. Qvam Sapienti vero, & amœno Ingeniorum Luſu, Vnicum hoc, & abſolutiſſimæ Pulchritudinis, Divinæ Omnipotentiæ Τεκμήριον, exceperint ſinguli; & ex informi Chao produxerint: Iſtud qvidem nemo, Doctæ Amœnitatis idoneus Æſtimator, ſine ſumma animi Voluptate legere aut cognoſcere poteſt. Vt ſinguli in diverſa abire, ſinguli alium Auctorem, alium Ordinem, alium Emergendi Modum, agnoſcere videantur: Mox, in Vnum omnes conſpirare, Eundem Auctorem, Ordinem, Emergendi Modum, & in univerſum, Omnia Eadem docere, admirari, decantare deprehendantur: Et, qvod mireris, Revelatæ Divinitus Veritati adeo conſona, adeo propinqva; Vt inde

omnia

Digitized by Google

omnia qvidem hauſiſſe, ſed ea non ſine Grato Munere, ex proprii nempe Jngenii Floſculis contexto Serto, redimita, ad Poſteros ita dimittere voluiſſe, videri poſſint. Diceres Eos, hoc Cœlum & hanc Terram, binas a Divina Sapientia Aras ſibi ædificatas credidiſſe; ad qvas omnibus Ingenii Nervis intenſis, Conditoris Sapientiam, in Opere ipſo, admirarentur, decantarent & celebrarent: ſimulq; proprii ingenii κόσμον, omnemqve ejus Varietatem, ibidem potiſſimum conferrent & exponerent. Singulas Singulorum Ὑποθέσεις exponere, non noſtri eſt Inſtituti. Multo minus, Omnium inter ſe, & imprimis cum Moſaicis Traditionibus, Concordiam & Conſenſum oſtendere, præſentis Tractationis anguſtia permittit. Fecerunt hoc ante me, ſummi & exqviſitiſſimi judicii Viri, *Auguſtinus Steuchus Eugubinus*, in Coſmopœia, & Commentariis de Perenni Philoſophia: *Franciſcus Patricius*: Et nuper, Ingenioſiſſimus Anglus, *Thomas Burnetius*. Qvæ *Orpheus* tradiderit περὶ Κοσμογονίας, e proximo retro Capite, & aliis, prioribus; cognoſci poſſunt. In qvibus, vel Præcipuum eſt; qvod hoc totum, qvantum qvantum eſt, Vniverſum, ex *Ovo* produxerit: Non ſane aliter, qvam Poëtico qvodam & Symbolico Figmento. Vnde ipſum poſtea *Ovum*, ab omni Antiqvitate, pro Symbolo Mundi habitum, nihil docuiſſe aliud, certum eſt, qvam Summum illud, & intenſiſſimæ etiam Humanæ Rationi, admirandum, NASCENTIS MVNDI MYSTERIVM. Qvod, qva Arte, qva mira & recondita Ingenii Felicitate, *Orpheus* hic, hac ſua arcana Doctrina, Symbolice ita, adumbraverit ſimul, & Sapientioribus detexerit: Itemqve, qvam apte hæc, qvam mirabiliter cum Moſaicis, Divinis Revelationibus, conſentiant; operæ precium eſſet, hoc loco exſeqvi. Niſi, ſupra laudati, *Steuchus*, & *Patricius*, & poſt hos, admirandi Ingenii & amœniſſimi Judicii *Th. Burnetius*; qvicqvid hujus dudum a me meditatum, deſignari heic potuiſſet; Immortalitate digniſſimis ſuis Lucubrationibus, jam ante occupaſſent. Qvod igitur ſolum mihi

relictum

relictum eſt: cum & laudatorum Virorum, & Veritatis ipſius unanimi Conſenſu, *Ovum* hoc Symbolicum, ab Ægyptiis, Phœnicibus, Perſis, Græcis, qvin Indis etiam; & qvibus non cultioribus primitus Gentibus? creditum fuerit, non Figuram modo Mundi; ſed etiam Formam Internam, & Modum Originis, complecti: Qvæ de *Orphico* hoc *Ovo*, Antiqvorum exſtant, aut mihi ſaltem innotuere, Mentiones & Interpretamenta ſimul; ea huc conferre, aut ſaltem indicare, conſultum duxi. Et primo qvidem, ***Externam Figuram Mundi***, Symbolicum hoc Ovum reſpicere, ***Achilles Tatius***, Iſagog. in Arati Phænomena c. VI. docuit: σχῆμα, inqviens, δὲ Κόσμυ οἱ μὲν Κωνοειδὲς εἶπον, οἱ δὲ Σφαιροειδὲς, οἱ δὲ Ὠοειδὲς· ἧς δόξης ἔχονται οἱ τὰ Ὀρφικὰ μυστήρια τελοῦντες. Cujus Sententiæ, præter memoratos Ægyptios, Phœnices, Perſas, Indos, *Empedoclem* qvoqve, Patronum agnoſcit, laudatus *Burnetius*: docentem, apud *Stobæum*: τῷ ὠῷ παραπλησίως τὸν κόσμον κεῖσθαι. Notante etiam *Plutarcho*, Lib. II. de Placitis Philoſophorum: οἱ Στοϊκοὶ σφαιροειδῆ τὸν κόσμον, ἄλλοι δὲ κωνοειδῆ, οἱ δὲ Ὠοειδῆ. De *Forma Interna* & *Modo* ſimul *Originis Mundanæ*, Interpretatur *Firmus*, *apud Plutarchum*, Lib. II. Sympoſ. προβλ. γ. Διὸ καὶ τῇ φύσει τὸ πρῶτον εἰκός ἐστιν ἀτρέμα κινούσῃ τὴν ὕλην ἀργοτέραν ὑπακούειν, τύπους ἀμόρφους καὶ ἀορίστους ἐκφέρουσαν, ὥσπερ τὰ ὠὰ, ὕστερον ἐνδημιουργεῖσθαι τὸ ζῶον. i. e. *Itaq; etiam probabile eſt, cum natura initio ſenſim moveret materiam, hanc ſegnius obtemperantem, informia indefinitaqve produxiſſe rudimenta, cujusmodi eſt Ovum; deinde his conformatis & effictis, animal eſſe abſolutum.* Qvin, de *Partibus*, ſive *Elementis conſtituentibus Mundum*, exponit *Varro*, *apud Probum Grammaticum*, ad Eclog. VI. Virgil. qvo loco, *Probus*: *Qvatuor*, inqvit, *Elementorum facta deſcriptio, ad qvam imaginem Varro, Mundo Ovum comparavit in Logiſtorico, qvi inſcribitur Tubero, ſive de Origine Humana, ſic dicens: Cœlum eſt Teſta, item Vitellum, Terra: inter illa duo, Humor, qvaſi in ſinum cluſus aëri, in qvo Calor.* Ad qvem

Digitized by Google

modum qvoqve, Idem Ovum reſolvit *Achilles Tatius*, citante Burnetio. Vnde, Ovum, Præcipuum Symbolum in Sacris Bacchi (qvæ eandem Mundi Originem, Vitam, totamqve adeo Conſtitutionem docuiſſe, alibi prolixius diſputavimus) adhibitum fuiſſe, conſtans Veterum Teſtimonium confirmat. Idem *Firmus*, apud *Plutarchum*, Loco citato. Τὸ δὲ ἐπὶ τούτοις, Ἀείσω ξυνετοῖσι τὸν Ὀρφικὸν καὶ Ἱερὸν λόγον, ὃς οὐκ ὄρνιθος μόνον, τὸ Ὠὸν ἀποφαίνει πρεσβύτερον, ἀλλὰ καὶ συλλαβὼν ἅπασαν αὐτῷ τὴν ἁπάντων ὁμοῦ πρεσβυγένειαν ἀνατίθησι· καὶ τ' ἄλλα μὲν εὔστομα κείσθω, καθ' Ηρόδοτον, ἔστι γὰρ μυστικώτερα. i.e. *Supra hæc jam, Cantabo gnaris Orphicam & Sacram Orationem, qvæ non Gallina modo antiqvius Ovum facit, ſed ei omnium in univerſum Rerum Principem Ortum adſcribit. Ac de reliqvis qvidem, qvæ plus habent Myſterii, favebo lingva, ut cum Herodoto loqvar.* Et poſt alia: Ὅθεν οὐκ ἀπὸ τρόπου τοῖς περὶ τὸν Διόνυσον ὀργιασμοῖς, ὡς μίμημα, τοῦ τὰ πάντα γεννῶντος καὶ περιέχοντος, ἐν ἑαυτῷ συγκαθωσίωται. i.e. *Ideo haud abs re Ovum in Orgiis Bacchicis conſecratum eſt, ut Exemplum omnia gignentis & in ſe continentis. Macrobius*, Saturn. VII. c. 16. *Conſule Initiatos, Sacris Liberi Patris, in qvibus, hac Veneratione Ovum colitur, ut ex forma tereti ac pene ſphærali, atq; undiq; verſum clauſa & includente* (forte melius, ut noſter Codex præfert, *induente*) *intra ſe Vitam, Mundi Simulachrum vocetur.* Inde etiam conſtare Cauſſam, docet idem *Plutarchus*, Loco citato: Cur *Orphici* & *Pythagorici*, Ova, in eſu, abominati fuerint, ut Cor & Cerebrum: Nempe, qvod credebant, ἀρχὴν γενέσεως eſſe Ovum. Et qvidem de Interna Mundi Forma, & Naſcentis Origine; adducta Auctorum loca, & in iis contentæ Rationes, ad explicandam Orphei, circa Symbolicum hoc Ovum Mentem, ſufficere poſſint: *Externam Figuram*, cur, aut unde Ovalem fecerit, cum Rationes in Teſtimoniis deſint; & illas Eccentricitates & Ελλείψεις, in Obcurſu Planetarum circa noſtram Tellurem, illis Primus Temporibus, forte non tam exacte

exacte obſervatas & cognitas fuiſſe; unde Orpheus in hanc, de Ovali Figura Mundi Opinionem, deduci potuerit; credere qvis poſſit: Hic ex intimis Philoſophiæ Orphicæ penetralibus educere, non inconſultum, credo, erit. Qvod, ut commodius fiat; in Memoriam revocandum erit, qvod ſupra docuimus: Omnem Mentem, omnemqve Animam, qvin Ipſum Illud, qvod ſupra omne Ens eſt, τ' Ἀγαθὸν, Orpheum concepiſſe & deſignaſſe, *Figura Tereti*, ſive *Circulari*, tanqvam Perfectiſſima, & ſola Divina. Illud igitur Ἀγαθὸν (qvod Idem cum Mundo nihil qvicqvam commercii habere, & ſupra Mundum collocatum eſſe credidit) ſuperabundante majeſtatis fœcunditate, de ſe Mentem creavit δημιουργὸν· cui omnem Mundi Productionem, & producti, Providentiam commiſit. Cui Menti in ſe, & ſua Subſtantia, itidem tribuenda eſt *Figura Circularis*. Sed, qvod in Deſcenſu, aut Delapſu Mentium Humanarum, e Via Lactea, in Materiam, ſive Corpus ſuum, docuit: eas a priſtina ſua Forma Tereti, in Conum, defluendo, deduci: ſicut a Puncto naſcitur Linea, & in longum ex individuo procedit; ibiqve a puncto, ſuō, qvod eſt Monas, venit in Dyadem, qvæ prima protractio eſt: Idem etiam huic Menti Δημιουργῷ, aut potius Animæ Mundanæ, ab hac Mente rurſus productæ, in prima illa Creatione accidere oportuit: Vt, dum ſeſe in Materiale Chaos detendit & demiſit, aut (ſi de Anima Mundana loqvi velis) Materiæ ſeſe inſeruit: a priſtina ſua Forma Tereti, itidem in Formam Coni aut Ovi deſinere, atqve ita Mundum Κωνοειδῆ aut, Ὠοειδῆ, producere, neceſſum habuerit. Qvod ex Figura appicta, clarius apparebit. Sit igitur Circulus A. Summum illud, extra Mundum, & ſupra omne Ens Conſtitutum Ἀγαθὸν. Circulus B. Mens illa Δημιουργὸς, Mundi Productrix & Creatrix: Ex ſe rurſum producens, Animam Mundi. C. Qvæ ſeſe detenden-



Digitized by Google

do & demittendo verſus Materiam, eamqve in ſe complectendo, & ſimul animando, neceſſario Figuram κωνοειδῆ aut potius ᾠοειδῆ, induere oportet. Qvod autem non æqvaliter ita ſeſe demittat, aut Cylindri potius formam, fundo plano, induat, (qvod tamen a nonnullis creditum olim fuiſſe, jam diximus) Ideo fit: qvod Anima, utut etiam in Corpora immerſa qvaſi, & materia obruta ſit; Eſſentiam tamen ſuam, i. e. Figuram Circularem, ideo non amittit: ſed tantummodo, ſe ipſam qvaſi extendit, ut Materiam attingere & amplecti poſſit. Et, cum Surſum verſus nihil extra ſe inveniat, qvam Summum iſtud & Beatiſſimum Ἀγαθὸν: Ex illa Parte, manet in ſua Latitudine, & ſeſe Patri conformat. Infra ſe autem, dum Materiam complecti ſtudet; qvæ in ſuperiore parte, qva Mentem illam aut Animam reſpicit, purior eſt, & ob id amplior qvaſi concipienda: paulatim vero, verſus inferiora, turbidior & anguſtior, & *Nihilo* propius accedens, paulatim qvaſi decreſcit & evaneſcit: Anima interim in Circuli ſui, naturalem formam, omnibus viribus nititur: alia profecto, qvam obtuſi Ovi Forma Mundi, emergere nullo modo potuit. Qvæ autem hic, de mutuo inter ſe Reſpectu, τοῦ Ἀγαθοῦ, Mentis, Animæ & Materiæ, attigimus; ex *Macrobii* Verbis, Lib. I. in Somn. Scipionis; qvanqvam ad aliam Demonſtrationem ibi adhibitis; forte clarius patebunt: aut ſaltem ex his, aliqvid lucis iis affundi poterit. Deus, inqvit, qvi prima Cauſſa eſt & vocatur: unus omnium, qvæqve ſunt, qvæqve videntur eſſe, Princeps & Origo eſt. Hic, ſuperabundanti majeſtatis fœcunditate, de ſe Mentem creavit. Hæc Mens, qvæ Νοῦς vocatur. *Qva Patrem reſpicit, plenam ſimilitudinem ſervat Auctoris*: Animam vero de ſe creat, *poſteriora reſpiciens* (*jam ſeſe demittens*) Rurſus Anima *partem, qvam intuetur* (*nempe Mentis, vel teretem, vel jam paululum oblongiorem*) induitur, ac paulatim, *regrediente reſpectu in fabricam corporum*, (*aut Materiam*) in corpora ipſa degenerat.

Inde

Inde jam, porro, facilis Conjectura: Qvod Argumentum præcipuum fuerit τῶν Ὠοθυτικῶν, ἢ Ὠοσκοπικῶν, Carminum, Heroico Genere conſcriptorum, qvæ olim, Teſte *Svida*, *Orpheo Lebethrio* adſcribebantur. Nempe, cum ex hactenus adductis conſtet, Orpheum & ejus Sectatores, Ovum, tanqvam exactiſſimum totius Vniverſi Symbolum, reſpexiſſe; Vniverſi autem hujus Originem, Vitam, & Naſcendi Vivendiqve Modum; eos in Orgiis Bacchi, variis Ceremoniis & Symbolicis Elementis propoſitis, innuiſſe; (Vnicum Argumentum Sacrorum Bacchicorum) Myſtasq; ſuos hac ipſa Doctrina, de Mundi Origine, Conſtitutione, Agendi & Vivendi, Modo imbuiſſe; jam alibi demonſtratum ſit: (qvæ eadem Sententia noſtra, inſuper mirifice confirmatur, Teſtimoniis Veterum, ſupra jam adductis: qvod nimirum hoc Ovum in Bacchicis illis, ſive Sacris, ſive Initiis, Myſteriis, Orgiis &c. præcipuum Symbolum propoſitum fuerit:) Ὠοθυτικὰ ſane illa, nihil aliud docuiſſe credo, qvam Ritus & Ceremonias, qvibus Ovum tale, in Sacris ipſis Bacchi, præferendum, aut Sacræ Vanno recondendum; Deo ipſi ante offerendum & ſacrificandum fuerit. Nec qvenqvam, credo, offendet, qvod Ὠοθυτικὰ, a θύω, qvod Verbum de *Cruentis*, communiter, *Sacrificiis* adhiberi ſolet, deducta ſint: ut credat, immolatum, aut confractum Ovum, in tali Sacro fuiſſe: cum *Porphyrius*, Lib. II. περὶ Ἀποχῆς, prolixe oſtendat: Voces: θύειν, θυσίας, θυηλὰς &c. ab Antiqviſſimis (Heroicis Temporibus) in Sacris uſitatas; nihil minus ſignificaſſe, qvam Cruenta illa Sacra: ſed vel *Suffiminum Accenſiones*, vel, *Qvascunq; Oblationes, Diis factas.* Ὠοσκοπικῶν autem Titulum, Eidem Libro præfixum fuiſſe, crediderim: qvod eadem Carmina, Explicationem qvandam, & Enarrationem Myſtici hujus Ovi, in ſe continuerint. Vt adeo Ὠοθυτικὰ hæc & Ὠοσκοπικὰ, velut Parva qvædam Initia, Myſtis Bacchi, anteqvam in plenum, ut ita dicam, Myſteriorum Theatrum, immitterentur, & Majora acciperent; præmiſſa ita & propoſita fuerint: qvibus paulatim ad Sublimiora & Majora capienda, præpararentur.

ΘΥΗΠΟΛΙΚΟΝ.

ΚΑΙ

ΣΩΤΗΡΙΑ.

VT infinita sunt, qvæ Divinitatis Appellatione decorarunt Prisci Gentiles; ita Cultus qvoqve illorum, infinitis Mo-dis, infinitis Rituum & Ceremoniarum Differentiis, di-ſtinctus fuit. Summum illud Ἀγαθὸν, qvod κατ᾽ ἐξοχὴν Θεὸν appellabant; extra & supra omnem cultum collocabant: nulla Sacra, nullas Ceremonias, nulla Sacrificia ei dedicabant. Solo Silentio, Puro illo; & puris de Deo Cogitationibus, unice coli ſtatuebant: Ideo, qvod Vnum Illud Supremum, angustia Mentis nostræ, ne capere, ne percipere qvidem possit: nisi sese, in se ipsam contrahens Anima nostra; & sui ipsius Vnionem, exclusis omnibus aliis sui Facultatibus, contemplans; ita qvasi Vnum fiat. Iis Rationibus & Viis, qvas ex Platone, docet *Pro-clus*, Theolog. Platon Lib. I. p. 7. *Porphyrii* Verba, Lib. II. περὶ Ἀποχῆς. Hunc, Summi Dei, Cultum, unice commendant, omnemqve alium manifeste excludunt. Θύσομεν τοίνυν καὶ ἡμεῖς, inqvit, ἀλλὰ θύσομεν, ὡς προσήκει διαφόρους τὰς θυσίας, ὡς ἂν διαφόροις δυνάμεσι, προσάγοντες. Θεῷ μὲν τῷ ἐπὶ πᾶσιν, ὥς τις ἀνὴρ σοφὸς ἔφη, μηδὲν τῶν αἰσθητῶν, μήτε ἐπονομάζοντες· οὐδὲν γάρ ἐστιν ἔνυλον, ὃ μὴ τῷ ἀΰλῳ εὐθύς ἐστιν ἀκάθαρτον· διὸ οὐδὲ λόγος τούτῳ, ὁ κατὰ φωνὴν, οἰκεῖος, οὐδ᾽ ὁ ἔνδον, ὅταν πάθει ψυχῆς ᾖ μεμολυσμένος. Διὰ δὲ σιγῆς καθαρᾶς καὶ τῶν περὶ αὐτοῦ καθαρῶν ἐννοίων θρησκεύομεν αὐτόν. Δεῖ ἄρα συναφθέντας, καὶ ὁμοιωθέντας αὐτῷ, τὴν αὐτῶν ἀναγωγὴν θυσίαν ἱερὰν προσαγαγεῖν τῷ θεῷ, τὴν αὐτὴν δὲ καὶ ὕμνον οὖσαν καὶ ἡμῶν σωτηρίαν. ἐν ἀπαθεῖ ἄρα τῆς ψυχῆς τῇδε τοῦ θεοῦ θεορίᾳ, ἡ θυσία αὕτη τελεῖται. Id est. *Hol-ſtenio* Interprete. *Sacrificabimus igitur etiam nos, sed prout decet.*

decet. *Victimas ſcilicet eximias, Poteſtatibus eximiis adducentes. Deo qvidem, qvi ſuper omnia eſt; ut Sapiens qvidam dixit; nihil ſenſibile, neqve adolentes, neqve dedicantes. Nihil enim eſt materiæ concretum, qvod naturæ, a materiæ contagione liberæ, non ſit impurum. Qvocirca neqve Sermo, qvi Voce profertur, huic proprius eſt: neqve Internus, ſi modo ulla animæ perturbatione contaminatur. Silentio autem puro, & puris de Deo cogitationibus, ipſum colimus. Oportet igitur illi conjunctos & aſſimilatos noſmet ipſos, ſecundum eos inſtitutos, veluti pium Sacrificium Deo exhibere, qvod & illi in laudem, nobis vero in ſalutem cedat. Hoc autem Sacrificium Dei hujusce, contemplatione, ab anima, affectibus libera, perficitur.* Sed ne *Menti* qvidem δημιουργῷ, a Supremo iſto Deo prognatæ: Qvin reliqvis qvoqve νοητοῖς θεοῖς; alium Cultum concedebant, qvam Hymnos, aut, τὴν ἐκ τοῦ λόγου ὑμνῳδίαν. Eosqve, velut Ἀπαρχὰς qvasdam Cogitationum noſtrarum, & Contemplationum, qvas ab illis habeamus acceptas. Qvem eundem qvoqve, per Hymnos, cultum, *Animæ Mundi* aſſignabant. Ita, ut illa tota, qvanta qvanta eſt, Suprema Trinitas, qvam ab ejus Aſſertore potius, qvam Auctore; *Platonicam* vulgo vocant; ab omni Ceremoniarum, Rituum, aut Sacrificiorum Cultu, intacta & immunis, ut ita dicam, remanſerit. Cum autem præter Hanc, Puram & Simpliciſſimam, Τριάδα; Plures, qvaſi Minores, & ab Hac dependentes, Divinitates crediderint: ad certa & determinata veluti Miniſteria, ab Illis Supremis, deſtinatas; aut cum Mente illa δημιουργῷ, & Anima, aliqvo, inter ſe, commercio conjunctas: His ſingulis demum, ſuos Ritus, ſuum Cultum, ſua Sacra aſſignabant. Ita, ipſum Vniverſum, totusqve hic Mundus; Deus illis erat. Cœlum; Deus. Sphæræ Cœleſtes; totidem Dii. Qvot Stellæ: tot Dii. Terra qvoqve; Deus. Elementa etiam, ſub Luna; Dii. & in univerſum, ſingula Integra in hoc Vniverſo; Dii. Rationem addunt: Qvia ubiqve &

in omni-

in omnibus partibus ſuis, Mutationem non habent: ſed ſecundum ſuas Integritates, in hoc Vniverſo manent, & Animalia particularia continent: qvæ indicio ſint, Sanctæ illius cum ſummo Deo Connexionis & Communionis. Qvam ita deducunt: Deus, eſt ante Mentem, eamqve produxit; Inde, Mens eſt Diviniſſima, qvod ante alia Divinam naturam habeat. Anima eſt Divina; καθόσον τῆς νοερᾶς δεῖται μεσότητος, i. e. *qvatenus intellectuali medietate indiget*. Corpus, qvatenus ab anima gubernatur; θεῖον δήπȣ καὶ αὐτό. Διήκει γὰρ ἄνωθεν ἄχρι τῶν ἐσχάτων ἐξηρτημένων, ἡ τȣ̃ Φωτὸς ἔλλαμψις. i.e. *Nam Lucis illuſtratio, pervadit a principio usq; ad extrema, qvæ a primo dependent.* His omnibus, ſubjungebant immenſa inſuper Νοερῶν, aut potius τ̃ Αὀράτων Deorum, Poteſtatum, Dæmonum, &c. Agmina: Mentis & Animæ Mundanæ, veluti propagines; Magnorumqve iſtorum Corporeorum Deorum, partim Præſides & Rectores, partim Vicarios, & Miniſtros. Hominum inprimis, humanarumqve rerum, Genios, Inſpectores, Portitores: alios etiam Caſtigatores & Vexatores. De qvorum inter ſe Ordinibus, Gradibus, Officiis etiam, Natura & Indole; Platonis imprimis Aſſeclæ & Interpretes, varie & prolixe diſputant. Qvorum Sententias heic recenſere, & prolixum & operoſum eſſet. *Proclus*, in Theolog. Platon. itemqve Commentariis in Platonis Timæum & Parmenidem; *Plotinus; Porphyrius*, in Libris περὶ Ἀποχῆς, Aliiqve; ad λεπτολογίαν usqve, hoc agunt: qvi videri poſſunt. Hos igitur, Mundanos Deos, unice colebant Gentiles: his, Sacra faciebant: his, Ceremonias, Ritus, Feſta, Libamina, Sacrificia dedicabant, offerebant. Idqve, ad Normam & Præſcriptum Sapientum illorum, qvi primi Deos, Deorumqve Cultum homines docuere; Societates Humanas collegere; Vrbes & Oppida fundavere, Legibusqve inſtruxere. Cum enim iſti Sapientes, Res, Rerumqve Cauſſas didiciſſent; easqve, ob rationes alias commemoratas, per arcana & ſecretiora Sacra inſtituta, non qvosvis; ſed eos, qvos Idoneos judicabant, docere inſtituiſſent: ne reliqvum Vulgus,

gus, ſine omni Deorum Cultu & Reverentia, ita vagaretur; ea, qvæ ipſi Viva & Agentia, inter ſe connexa & ſimul conjunctim, pro cujusqve vi & potentia, ordine ſuo, operantia, in iſtis ſuis Myſteriis contemplati ſunt: qvaſi a ſe invicem ſeparata & ſingularia; ne dicam avulſa & diſſociata; Populo colenda exhibuere. Vt adeo, omnia Gentilium Sacra, in Duas veluti Claſſes deſcribi & diſtingvi poſſint: *Philoſophica*, & *Civilia*: *Arcana*, & *Communia*: *Myſteria*, & *Ritualia*. Illa, *Philoſophica*, *Arcana* & *Myſtica*: Vniverſum, & qvicqvid in eo Divini deprehenditur, in ſua qvaſi Vita & Vigore, contemplabantur. Rerum Origines, Cauſſasqve originum, & Vniverſi hujus, ex ſuis Principiis Emerſionem; docebant *Sacra Corybantum*. Ordinem, Actum, Vitam, hujus Vniverſi, ejusq; Cauſſarum, conjunctim operantium; commonſtrarunt *Myſteria Bacchi*. Hominis, Microcoſmi, magniqve illius Vniverſi, præcipui Ornamenti, qvin, vivi & ſpirantis Exempli, Cœleſtem Originem, Divinam Vim, Naturam & Vitam, cumqve ſupremis illis & divinis conſtantem Cognationem & perpetuum Commercium; *Myſteria Cereris* inculcarunt. Hæc vero, *Civilia*, *Communia*, *Ritualia*: Mundum, Cœlum, Terram, Aſtra, Solem, Lunam, Stellas, Elementa, Dæmones, Animas Heroum &c. colebant. His, ut colentibus placida & benefica eſſent; Ritibus, Precibus, Donis, Feſtis, Ludis &c. ſupplicabant. Horum Opem expoſcebant: Iram & Minas avertere & averruncare omni modo laborabant. Illa Priora, Docebant: Hæc, Operabantur. Illa, qvodammodo Imperabant; hæc, Serviebant. Vnde illa, SACRA, κατ᾽ ἐξοχὴν: hæc, CVLTVS, verius dixeris. Illi igitur, qvi Humanas Societates, primi formare, Vrbibus concludere, Legibus ordinare, inſtituebant: cum nullum firmius, Religione, Vinculum, qvod Societatum qvarumvis Statum continere & conſtringere poſſet, excogitare valuerint; Ex Horum Deorum numero Eos ſelegere, qvorum Poteſtates prætenſæ, aut alias creditæ; illo Statui, qvem formare in animo habebant; maxime conformes, utiles, aut ſaltem non contrariæ & obſtantes eſſent. Iſtos

Deos, præ reliqvis, tanqvam Potiores & magis neceſſarios, colere juſſerunt. Talesqve Ritus, eum Cultum, ea Sacrificia illis offerenda, aut elegerunt, aut excogitarunt; qvæ itidem Statui Civili convenirent; illiqve Vinculo, qvod qværebant, maxime apta & idonea eſſent. Vnde tot fere, unius ejusdemq; Dei, diverſos & inter ſe diſcrepantes Cultus olim, invenias; qvot non ſolum Gentes, Regna, Provincias, ſed fere Oppida numeraveris. Inde, in bene conſtitutis Civitatibus, olim tam ſancte cautum, tam religioſe ſemper obſervatum; ne qvis Peregrinos Deos, Peregrinosq; Cultus Civitati inferret. Adeo, ut, ſi qvis peregre adveniens, ex una, in aliam Civitatem, ſedem transferre cupiverit; relictis ſuis & peregrinis Illius, in qva deinceps commoraturus erat, Civitatis, Sacra ſuſcipere & obire cogeretur. Ne ſcilicet Civili Statui, qvi cum ſemel, ex ejus commodis, ſuſcepto Statu Religionis, pari paſſu ambulat; & commune cum Hoc vel Commodum vel Detrimentum experitur; ita Inſidiæ extimeſcendæ eſſent. Inde, Patrum Religio, tam ſancta, tam intemerata, ſemper ab omnibus habita; ut ne minimum qvidem circa illam cuiqvam mutare, ne dum novas invehere, fas fuerit. Inde, Reges, Summiqve Magiſtratus, plerumqve Sacrorum ſimul Ephori, Sacerdotes, Pontifices Maximi: ut Sacris præeſſent, Religionesq; Deorum, qvæ in Vulgi animos ſemper plus poſſunt, qvam Jura & Leges Hominum; ita curarent: ut Harmonia illa Status Civilis & Cultus Divini, immota & inconcuſſa ſemper ſervaretur. Porro, Hæc Sacra, qvamvis Minora, qvamvis nonnunqvam ita comparata, ut a Prudentioribus facilius Contemtum, qvam Reverentiam mereri poſſent; a Sapientibus tamen, utut meliora edoctis, majoribusq; innutritis, non facile traducta, aut plane neglecta invenies: Idq; non aliam fortaſſis ob Cauſſam, qvam ut Civili Societate, cujus Bona intelligebant, frui commodius poſſent: neq;, ſi vel maxime meliora docere aut ſciverint, aut etiam cupiverint; ſuſpectos ſe Novarum Rerum aut Machinamentorum redderent: ſibiq; ipſis, ut Socrates, Exitium pararent. Tum deniqve, ne qvicqvam Fundatori-

datoribus & Auctoribus iſtarum Religionum ſimul & Rerumpublicarum, tanqvam Suæ Sortis & Conditionis, Hominibus Sapientibus, qvicqvam derogarent, adeoq; in proprium Ordinem injurii eſſent. Qvam etiam præcipuam Cauſſam fuiſſe arbitror, qvod non facile inveniatur hodie, Antiqvos iſtos Sapientes, utut diverſiſſima ſæpe a ſe invicem docuerint, diverſiſſima qvoq; Sacra celebraverint; acerbius in alios, diſſentientes, invectos fuiſſe: illorum Doctrinas, Opiniones, Dogmata, Sententias aut Sacra etiam, traduxiſſe, irriſiſſe, aut qvocunqve demum modo calumniatos fuiſſe. Vnusqvisq; igitur Rex, Populi aut Vrbis Fundator, & Legum Lator, Civibus ſuis ſecure Deos elegit: Cultum, Ordinem, Sacra, Ceremonias, Feſta, Sacrificia, qvæ perpetuo ita ſervarentur, præſcripſit. Ea tamen, qvæ & Diis iſtis, ex Antiqviſſimorum Theologorum decretis: Qvæ His, accuratior & intimior Naturæ Cognitio, jam ante dictaverat; & Statui proprio Civili, conſentanea & conformia eſſent. Qvalia, dubio procul, Generalia in Sacrificiis Deorum ſingulorum obſervanda Præcepta, omnis Theologiæ Græcaniæ Auctor, *Orpheus*, docuit & tradidit, in eo Libro, qvem *Svidas* ei adjudicat: cujusq; Inſcriptio erat, ΘΥΗΠΟΛΙΚΟΝ. In qvam claſſem, Minorum nempe horum & Communium Sacrorum Inſtitutionis, referimus etiam alterum illum, ab eodem *Svida*, ſub *Orphei* nomine citatum Librum; qvem tamen alii ad *Timoclem Syracuſanum*, alii ad *Perginum Mileſium* retulerunt; cujus Titulus erat, ΣΩΤΗΡΙΑ. Sive jam in eo Ritus & Modum, celebrandi ea Feſta, alias notiſſima, docuerit; ſive is Carmina & Hymnos εὐχαριστικοὺς continuerit; qvibus Diis Servatoribus, Grates & Laudes decantari, ex ejus Præſcripto, debuerint.

ΧΡΗΣΜΟΙ.

NUllam facile, in universo Orbe, Regionem, pluribus & crebrioribus Oraculis olim resonuisse, qvam Græciam; cum diserta, plurimorum Scriptorum Testimonia, tum Ingens Sacrorum Locorum, in qvibus ea olim petebantur & reddebantur, Numerus, abunde testantur. Vnde autem, & a qva Caussa, ista profecta & reddita fuerint; cum Verum & Summum Deum, illorum Auctorem proximum agnoscere velle, hoc qvidem esset & Rationi & Venerandis Veræ Religionis Dogmatibus manifestam Vim imferre: An a malis Dæmonibus omnia ita promiscue fluxerint: an mera Calliditas qvorundam homuncionum, Lucro forte, aut Famæ, nescio cui, studentium; toti, tantum non, Orbi, & tot Maximis sæpe, & Potentissimis Vrbibus & Populis, qvin etiam Regibus, & Sapientissimis Viris, tam facile imponere potuerit: an deniqve, qvo nonnulli Veterum confugiunt; aliqvæ Terræ, aut Fontes aliqvi, occulata qvadam Futurorum Notitiam, aut Præsagium saltem, Inspirandi, Vi præditi, Halitu suo perenni, aut Haustu, Organa ista, ad Oracula edenda adhibita, replere, & inde Futurorum, adhuc dum Dubium Eventum, indicare, aut etiam diserte enunciare valuerinr? Ista qvidem heic discutere, iisve immorari, nulla nos ratio cogit. Maxime, cum ista, tot jam Doctissimis & Sapientissimis Viris, & olim & nuper, toties agitata & disputata sint; ut sine turpi, vel περιεργίας, vel vanæ Ostentationis suspicione, heic repeti aut dijudicari omnino neqveant. Hoc potius Instituti nostri, & assumtæ Tractationis Ratio exigere videtur: ut, qvoniam ad χρησμὸς, olim sub Orphei nomine celebratos, series Inqvisitionum nostrarum nos deduxit: Qvales illi χρησμοὶ, λόγοι, aut, si mavis, Oracula, Effata &c. fuerint: qvæ, utut non ex Tripode aut Cortina profecta & emanata, non minus tamen in Pretio ab

Omni-

Omnibus habita ſunt, ac illa, falſo fortaſſis, falſis iſtis Diis & Dæmonibus adſcripta & adjudicata; interim a Viris & hominibus Sapientibus, ubivis potius, qvam in illis Publicorum Oraculorum Officinis, proſtantibus & docentibus, effata ita & edita fluxerunt; heic Paulo accuratius inqviramus. Notum eſt, qvam grata Veneratione, ſimplex illa Antiqvitas, qvoſcunqve demum Benefactores ſuos, proſeqvuta fuerit: ut iis, non Vivis ſolum, omnem Cultum, omne Obſeqvium, lubens præſtiterit; ſed etiam, poſtqvam inter Homines eſſe deſierunt, cum auguſtiorem iis locum aſſignare neqviverit, inter Deos repoſuerit. Adeo, ut injuſtiſſimos interdum Reges, aut potius, immaniſſimos Tyrannos, vel ob Vnum aliqvod, idqve non ſemper Eximium, in ſe exſtans Beneficium, Cœlo & Diis aſſeruerit. Vnde non paucos invenias, qvi omnem Deorum Familiam, olim a Gentili Plebe creditam, inde, Cœlum & Aſtra occupaſſe; undiqve collectis Hiſtoriatum, Teſtimoniorum, Monumentorum, Argumentis evincere, allaborarunt. Horum, vel nuda Potentiæ Admiratio, vel unius alteriusve collati Beneficii Memoria, ſi tantum potuit in Animis Priſcorum Hominum, ut in his majorem, humana, Sapientiam & Providentiam ſubeſſe ſuſpicati fuerint; Qvid tandem non admirationis, & inde enatæ Venerationis, in iisdem animis produxiſſe, credibile eſt, Illorum Virtutem; qvi Primi Humanum Genus, æterno illo Beneficio ſibi devinxere, ut Feros antea, & immaniſſimis ſæpe beluis immaniores homines, Rationis & Eloqvii adhibito blandiſſimo tormento, aggreſſi; eosdem ad Cultum, & Vitæ, vere Humanæ, Modum, compellere auſi fuerint. Qvi, Vagos antea & Diſperſos; Societatis Vinculo conſtrinxere: Qvi, Cædibus & Latorciniis innutritis; Pacis commoda perſvaſere: Qvi, ignoratis omnibus aliis, ſolam Vitæ ſuſtentandæ Rationem, Vim, Prædam & Rapinas æſtimantibus; Agriculturæ innocentem Vbertatem; Curæ Pecuariæ, mitiſſimam Fœcunditatem; Commerciorum amiciſſimam Copiam & Affluentiam, com-

Digitized by Google

monſtrarunt: Qvi, nullo Ordine, nullis Legibus, nulla Virtute, nullo Metu, nulla Reverentia, brutorum animantium more, vitam, perdere potius, qvam Vivere adſvetos; Magiſtratus admittere, Leges & Jura ferre, Virtutem dignoſcere, Ordinem amare, & ex his omnibus, enatam & emergentem Ευδαιμονίαν concipere & deſiderare docuerunt: Qvi deniqve, injecto ſemel hominibus Deorum Metu & Reverentia, ignaros omnium antea, & omnium ſecuros, & Hæc Præſentia colere; & Futura, Meliora, ſperare; ac, ſi ſe Dignos illis, in hac vita, Virtute, præſtiterint; aliqvando exſpectare juſſerunt? Hosne illi aliter reſpicere aut conſiderare potuerunt; qvam, ſi non Præſentes & Conſpicuos Deos; ſaltem, Deorum Familiares & Intimos: aut Filios etiam & Agnatos? qvi in hoc producti & nati ſint, ut Felicitatem, Deorum Vitam, Mortalibus Cœlo deferrent, & Deorum gratiſſimo munere, Hominibus ita diſpertirentur? Jam illorum Præcepta, illorum Dicta, illorum Effata, per qvæ hæc omnia peregere: Antea nemini cogitata, ne dum audita; qvam non Divinitatis & Sanctimoniæ Opinionem, in Animis iſtorum Hominum, ſibi conciliaſſe, neceſſum erat? Imprimis, cum hoc egerint illi primi Sapientes, & Generis Humani novi qvaſi Parentes; ut Sententias qvasdam paucas generaliores; qvarum tamen Vſus in omnem omnino Vitam ſeſe e tenderet; pauciſſimis Verbis; accedente plerumqve, Metri & Carminis Majeſtate ſimul & Svavitate, rebus itidem antea inauditis & plane novis; conciperent. Et, dum ita, tribus, qvatuorve verbis, Intellectui & Rationi, negocium Inqvirendi; & occaſionem cogitationes ulterius promovendi; Memoriæ, ipſa illa Brevitate, levamen & adjumentum; Animo, ex his, & Carminum ſvavitate, Voluptatem; Vitæ autem, ineffabile Commodum & Ornamentum, ſimul ſuppeditarent: Rudes iſtos, & omnium horum inſvetos, Mortalium Animos, hoc qvaſi Faſcino, ſibi obligarent; & attonitos ita, ac extra ſe raptos, Momento invertegrent,

rent, Rationisq; & Humanitatis Tribunali admoverent & ſubjicerent. Qvarum Sententiarum Vim, ita experti deinceps admirantes; qvis credat, eos illas oblivioni tradidiſſe: aut minoris æſtimaſſe, qvam qvicqvid unqvam Æſtimationem & Reverentiam admittere aut mereri poteſt? Accedit aliud, qvod Rudes iſtos Animos fortius perſtringere poterat: Si forte iſti primi Sapientes, vel ex Naturalis Scientiæ Indiciis, vel Aſtronomiæ Legibus, vel Matheſeos Præſtigiis, vel deniqve Propriæ Prudentiæ Στοχασμῷ, nonnulla aliqvando, qvaſi in anteceſſum, prædixerunt & præmonuerunt; qvorum eventus, non falſos eos fuiſſe, deinceps docuerit: Vnde illa Vaticinia alio hauſiſſe videri poterant; qvam ab iis ipſis Diis, qvos illi, Primi, Terris importarunt, Hominesqve docuerunt? Has igitur Sententias, hæc Effata, &, ſi velis, etiam Vaticinia, primorum Sapientum, qvovis Theſauro anteponentes Antiqvi; ſanctiſſime & religioſiſſime, tanqvam Elementa & Fundamenta, omnis Humanæ Vitæ & Felicitatis, conſervarunt: & vel Orali Traditione, vel Scriptis comprehenſa, ſollicita, qvantum poterant, cura, Poſteris commendarunt, & propaganda deinceps, reliqverunt. Qvibus, ob inſignem eorum Vſum, nomen Χρησμῶν indiderunt. Qvorum Auctoritas, apud Poſteros, in tantum crevit; ut, accedente deinde Superſtitione, crediderint; ipſis illis Verbis & Sententiis, qvæ ſeſe in Commodum Vniverſæ Vitæ extendebant, eam Vim ineſſe; ut & Futuros, Dubios adhuc dum, & Incertos, Eventus Humanarum Actionum; aut Cauſſarum Naturalium Minas; evolvere, & Divinitus ita præmonere de iis, Conſultores valeant. Vnde *Sortium* illa decantatiſſima *Superſtitio*, dudum manavit: Adeo, ut jam Χρησμοὶ illis eſſent, non ſolum Προφητεῖαι, aut Προῤῥήσεις; ſed, Παρὰ Θεῶ δεδομένοι Λόγοι, *Sortes*. Χρησμολόγοι, aut, Χρησμῳδῆται, *Sortilegi*. Donec tandem, augeſcente Superſtitione, & ſubrepente nonnullorum Malitia; multæ & variæ Oraculorum Officinæ, Publicitus excogitatæ, & paſſim erectæ deprehenduntur. E qvibus, non jam ii, qvi Rectam, & ſecundum Virtutem vivendi, Viam inqvirebant;

rebant; ſed ii, qvos ſuperſtitioſa qvædam Curioſitas, Futura, & melius Latentia prænoſcendi, eo agebat; Reſponſa qvaliacunq;, referebant. Sic optima qvæqvæ, ab Ætate, Rubiginem trahunt: mox, augeſcente Malignitate; arroduntur: & deniq; Cineres relinqvunt. Sic, cum primis temporibus, ſecundum *Euripidem*, fuiſſet

Μάντις ἄριστος, ὅς τις εἰκάζει καλῶς,

Vates optimus, bene qvi conjecerit;

aut οὗτος ὁμόφρων μὲν ἀνὴρ, καὶ τῷ νῦν ἔχοντι τῆς ψυχῆς, καὶ μετ' εἰκότος ἡγουμένῳ καθ' ὁδὸν ἑπόμενος. i. e. *Vir intelligens, rationem præcedentem, ac indicio probabili ducentem, ſeqvens;* Labe illa ſemel contracta; τὸ Μαντικὸν, ex opinione Superſtitioſorum, ἦν, ὥσπερ Γραμματεῖον ἄγραφον καὶ ἄλογον καὶ ἀόριστον, ἐξ αὑτοῦ, δεκτικὸν δὲ φαντασιῶν πάθεσιν καὶ προαισθήσεων, ἀσυλλογίστως ἁπτόμενον τοῦ μέλλοντος, ὅταν ἐκστῇ μάλιστα τοῦ παρόντος. i. e. *Vis Divinandi, erat, tanqvam Tabula, Scripturæ expers, ratione carens, & infinita, ex ſeſe: capax tamen, ortarum a viſis Affectionum, & Præſenſionum: absq; ulla ratiocinatione futurum attingens: maxime, ubi e præſenti exierit ſtatu.* definiente *Plutarcho* in, De Oracul. Defectu. Iſtud autem non aliunde eveniſſe, mihi qvidem, videtur, qvam ex eo: qvod, cum Homines paulatim exculti, primas iſtas Regulas, & Vniverſales, ut ita dicam, Sententias primorum Sapientum; ex nudo & mero Rectæ Rationis Dictamine profluxiſſe, inibiqve ſuum Fontem, ſuamqve Originem, unice habere, deprehendiſſent; iis autem ſeſe jam ſatis ſponte ſua conformes vivere arbitrati eſſent: paulatim ad illas cœcutire, & propriæ ac innatæ Imbecillitatis Lapſu, dum Nova, Altiora & Majora petunt; in Deteriora devolvi ita cœperint. Maxime, cum & perſvaſio Divinitatis primorum iſtorum & priſcorum Sapientum; qvam a Majoribus ſuis hi acceperant; majora qvam humana & communia, illorum Effatis ſubeſſe, facile Curioſis innuere, aut potius imponere potuerit. Cui Perſvaſioni, ſi forte unum aut alterum

Vatici-

Vaticinium illorum Priſcorum (non tamen aliunde, qvam ex ſupra indicatis Fontibus profectum) acceſſiſſet; nihil jam erat, qvod luxurianti Curioſitati Poſterorum obſtare, eamve refrænare poterat; qvo minus & ea in iis qværerent; qvæ alias Humanam Sortem & Scientiam tranſcendere ſolent: &, occaſione hinc arrepta, Ipſi qvoq;, talia deinceps inveſtigarent, & undecunqve oblata, aut oſtenſa, arriperent & ſectarentur. Cui Curioſitati, ſi Superſtitio ſemel manum porrexerit; (ut fere ſemper ex his una alteram ſuſtentat) nihil tam Abſurdum, nihil adeo a Rectæ Rationis Dictamine Alienum excogitari poteſt; qvod non, occœcatæ ita Mentes, avide arripiant; & tanqvam delicatiſſimas Delicias, & mera Melimela ſibi unice exoptent. Vt adeo inde, dum Vera & Antiqva, tanqvam nimis ſimplicia & communia, ſpernuntur & negliguntur; Nova autem Vaga, & undecunq; ſeſe offerentia, aucupantur; omnes Artes, omnes Scientiæ, qvin omnia Bona, cum inſanabili Veritatis & Sapientiæ malo, turpiter adulterari; & deniq; plane inverti & in fumum degenerare facile poſſint.

Sed ad Orpheum redeo. Qvem qvidem χρησμοὺς Græcis ſuis dediſſe & reliqviſſe, adeo non negaverim; ut potius eum inter principes τῶν χρησμολόγων, non infimum locum occupaſſe olim, firmiter perſvaſus ſim. Cum eum omnis Antiqvitas, ſi non Primum, ſaltem Præcipuum Sapientem prædicet: qvi Feros adhuc dum, & Rudes omnium, Græcos, ad Cultum & Humanitatem duxerit & illexerit. An vero χρησμοὶ, qvi qoſt *Onomacriti* ætatem, ſub *Orphei* nomine innotuerunt; qviqve fortaſſis mera Vaticinia, ita dicta, & Prædictiones Rerum temere Contingentium, continuerint; ab Antiqvo illo & Vero Orpheo profecti fuerint: id vero neqvaqvam crediderim. Cum & *Svidas* teſtetur, hunc Onomacritum χρησμοὺς ſub *Orphei* nomine vulgaſſe; & *Plutarchus* diſerte in eum invehatur; tanqvam falſis ſuis & ſuppoſititiis χρησμοῖς deinceps deprehenſis, non parum contulerit; ut Oraculorum Omnium Fides & Auctoritas in dubium vocata, & paulatim penitus ſublata & abolita fuerit.

ΟΝΟΜΑΣΤΙΚΑ.

Lingvam, Humani Sermonis præcipuum Artificem, qvi Optimum ac Dignissimum Corporis humani Membrum prædicavit; næ is Lingvam, cum hoc diceret, Menti suæ, e *Zenonis* præcepto, probe antea intinxit. Qvod si enim Sermo, Cœlestis & Divinæ Mentis Imago recte appellatur; qvodnam, qvæso, Corporis Membrum, Dignitatis & præ cæteris Excellentiæ Encomium, æqviori jure sibi vindicare poterit; qvam illud, qvod huic Imagini, ab aliis, si placet, corporis partibus qvodammodo inchoatæ, τὸ Διακριτικὸν, id est, Summam, qvæ in eo reqviritur, Perfectionem conciliat: eiqve Vitam, qvasi, summaqve & extrema Puncta imprimit? Nec jam in Laudes hujus Membri altius adscendere, ejusve Usum aut Abusum, Declamatoria Τερθρολογίᾳ commendare aut arguere, animus est. Istud, si non Judicium, saltem Admirationem Hominum provocare possit: Qvod, cum infinita sint, qvæ Mentis humanæ Capacitatem assidue subeunt, in eaqve volvuntur; nihil tamen fere eorum sit, qvod non eadem Mens, ministrante Lingva, & Voce humana, per Nominum Verborumqve Imagines, Sensui repræsentare, & mediante Hoc, aliis Mentibus, in diversa Corpora agentibus, offerre & oggerere possit; adeo, ut Sermonis ita Ope, easdem Ideas in Aliorum Hominum Mentibus excitare valeat Mens, qvas ipsa sibi antea, tacite & intra se, formaverat. At vero istud, majorem insuper mihi Admirationem mereri videtur: qvi fieri possit; ut certis aliqvibus Literis, in Unam Vocem coagmentatis & digestis, & Momentaneo Lingvæ humanæ Motu ejaculatis, Ideæ cujusvis, simplicissimæ & purissimæ in se Rei, tam vivida Imago efficiatur simul & exhibeatur; ut, qvi illam, per Aures, ad suam qvoqve Mentem admiserit; non possit non eodem momento,

mento, eandem Ideam, in ſua qvoqve Mente formatam & productam deprehendere? Hoc jam dudum animadvertentes & admirantes Veterum Sapientum nonnulli Primicerii; Omnem qvidem harum Imaginum, Vocum Humanarum, Vim; in Literarum Singularum Vi, Selectu, Ordinato deniqve Complexu, qvæſivere, & inde inveſtigari poſſe, credidere. Qvo in Argumento fere totus occupatur Divinus *Plato*, in Dialogo, cui nomen fecit Cratylus. An vero in hoc ſolo, omnis harum Imaginum Vis & Vivacitas conſiſtat, inibiqve qværenda ſit; nunc non diſputo. Certe Altius qviddam & Sanctius ſubeſſe, non, credo, vane qvis ſuſpicari poſſit. Maxime, cum & Ipſos illos Veteres, tale qvid ſuſpicatos fuiſſe; colligas ex eo, qvod non unum Deum, Sermoni & Voci Humanæ præſidere docuerint: Qvin & ipſis, Certis, imprimis Deorum, Nominibus nudis, occultam qvandam interdum, & mirificam Vim ineſſe crediderint; ut, ſi qvis ea decenter pronunciaverit modo, miranda ſæpe & ſtupenda, per hæc, efficere poſſit. Qvid Hebræi hujus doceant; tralatitium eſt, & omnibus notum. *Pythagoram* autem Divinis qvibusdam duntaxat Verbis, tam Animi qvam Corporis Morbos mirifice curaviſſe; *Jamblichus* teſtatur, in ejus Vita. Nec deſunt, qvi pro comperto habere volunt; Totam *Zoroaſtris* Sapientiam ea in re conſtitiſſe: qvam *Plato*, in Alcibiade, Divinam; &, in Charmide, Morborum Animi & Corporis Curatricem appellat. Qvamqvam vero hæc talia, aut ſimilia, multum interdum Vanitatis, nec raro etiam, multum fortaſſis Vetiti habere & in ſe continere poſſint: Mirandam tamen eſſe etiam Hanc Communem, Vocum humanarum Vim, de qva modo locuti ſumus, nemo inficiabitur. Qvam tamen Admirationem, minuere nobis ſtudet *Marſilius Ficinus*, in Argumento Cratyli Platonis: *Nemo vero*, inqviens, *mirabitur*, *tantam in veris Nominibus vim latere*, *ſi modo conſideraverimus*, *ipſam rei vim naturalem*, *qvando vere cognoſcimus*, *pervenire ab Objectis*, *ad Senſus*, *ab his*, *ad*

Imaginationem, ab hac qvodammodo & ad Mentem. Deinde, a Mente, concipi qvidem primum; deinde per Vocem, exprimi, qvaſi Partum. Vtcunqve autem & iſthæc ſe habeant: Si ad primos Nominum & Vocum Auctores & Inventores, in qvavis Dialecto, reſpicias (niſi Deum ipſum, qvod rectius puto, pro tali habeas) Vtiqve cum *Platone*, fatendum erit, eos ſingulos, non tantum omnium Rerum accurata Notitia præditos fuiſſe; utpote ſine qva, tam Vivas & Accuratas illarum Imagines (ſi qvidem Nomina, ut dixi, Rerum Imagines a Platone & aliis, recte dicuntur) formare nunqvam potuiſſent; ſed plane Divinos. Ut qvi non ſolum Communibus & Mundanis Rebus, ſua, ſuæqve Naturæ convenientia Nomina imponere ſciverint; ſed ipſorum qvoqve Deorum Nomina & Appellationes, ex cujusqve Natura, Hominibus indicaverint. Et ita qvidem colligebant illi Priſci Gentium Sapientes. Vnde tanta Reverentia erga illos primos Divinorum Nominum vel Inventores, vel Delatores, illorum Animos inſedit; ut eos non alio fere nomine, qvam *Theologorum*, & τῶν Θεῶν ὄντως Παίδων appellaverint. Qvamvis enim varie, & vario reſpectu, Animæ μερικαὶ, & imprimis Humanæ, παῖδες & ἔγγονοι Θεῶν olim appellatæ fuerint; (de qvibus legi poteſt *Proclus*, Lib. I. in Timæum Platonis, eo loco, ubi Fabulam de *Phaethonte* exponit: Et, cur hic *Solis; Titius, Terræ; Muſæus, Lunæ; Orpheus* noſter, *Calliopes Filii* habiti fuerint; docet:) Tamen *Theologos*, & Nominum Divinorum ac Sacrorum Inventores, præ Cæteris hoc Elogio dignos judicabant; qvi παῖδες Θεῶν Vere & ex Merito vocarentur. Qvod ex *Platone*, diſerte docet *Proclus*, Lib. IV. in Dialogum ſæpe jam laudatum. Αὐτοὶ μὲν οὖν οἱ Θεολόγοι, inqvit, εἰσὶν ἔγγονοι Θεῶν, καὶ σαφῶς τοὺς ἑαυτῶν προγόνους εἰδότες. Ἔγγονοι μὲν, καὶ Παῖδες ὄντες Θεῶν· ὡς τὸ εἶδος σώζοντες τοῦ ἑαυτῶν προστάτου, κατὰ τὴν παροῦσαν ζωήν. Αἱ γὰρ Ἀπολλωνιακαὶ ψυχαὶ, μαντικὸν ἑλόμεναι βίον, παῖδες καὶ ἔγγονοι καλοῦνται τοῦ Ἀπόλλωνος. Παῖδες μὲν, καθὸ ψυχαὶ προσήκουσι, τοῦ δὲ τοῦ Θεοῦ, καὶ ᾠκειωμέναι,

πρὸς τήνδε τὴν σειράν. Ἔγγονοι δὲ, ὅτι καὶ τὸν παρόντα βίον, τοιοῦτον ἐπιδείκνυνται. Πᾶσαι μὲν οὖν ψυχαὶ, Θεῶν παῖδες, ἀλλ' οὐ πᾶσαι τὸν ἑαυτῶν ἐπιγινώσκουσι Θεόν· αἱ δὲ ἐπιγνοῦσαι, καὶ τὴν ὁμοίαν ἑλόμεναι ζωὴν, καλοῦνται παῖδες Θεῶν. &c. Et paucis interjectis, de ejusmodi Animabus, concludit: Αἱ δὲ τοιαῦται ψυχαὶ, καὶ ἐπιστρέφουσιν ἐπὶ τοὺς ἑαυτῶν προγόνους, καὶ πληροῦνται παρ' ἐκείνων ἐνθέου νοήσεως. Ἡ δὲ γνῶσις αὐτῶν ἐστὶν ἐνθουσιαστικὴ, διὰ τοῦ Θείου Φωτὸς τῷ Θεῷ συναπτομένη, πάσης ἄλλης ἐξῃρημένη γνώσεως, τῆς τε δι' εἰκότων, καὶ τῆς ἀποδεικτικῆς, ἡ μὲν γὰρ, περὶ τὴν φύσιν διατρίβει, καὶ τὰ καθόλου τοῖς καθ' ἕκαστα, ἡ δὲ περὶ τὴν ἀσώματον οὐσίαν, καὶ τὰ ἐπιστητά· μόνη δὲ ἡ ἔνθεος γνῶσις, αὐτοῖς συνάπτεται τοῖς Θεοῖς. Hac ita Perſvaſione imbutos Gentiles; qvid non de *Orpheo* noſtro honorifici ſenſiſſe, credibile eſt? qvem Omnium Divinorum, inter Græcos, Nominum & Appellationum, Primum Auctorem & Inventorem, unaimi conſenſu, agnoverunt & prædicarunt: qvemq;, qvod Summi & Supremi inter Deos, nomen ἄῤῥητον antea, & ἀκατονόμαστον, primus protulerit, hominibusqve indicaverit, Ζῆνα illum appellando; admiratur *Proclus*: Ἀπ' ἐκεῖθεν, inter Deos ſcilicet, κοινούμενον. Sed nec Chriſtiani Patres, a Gentilibus, hac in re, diſſentiunt; *Orpheum* non tantum Πρῶτον τῆς Πολυθεότητος παρ' Ἕλλησι Διδάσκαλον appellantes, & Παρεισάγοντα τοὺς Τριακοσίους Ἑξήκοντα Θεοὺς; qvod facit *Juſtinus Martyr*: cum, in Cohortatione ad Gentes; tum, in Apologia Secunda, pro Chriſtianis: Sed Eundem etiam diſerte Nominum Divinorum Inventorem & Auctorem prædicantes: qvod facit *Athenagoras*, Legatione ſua pro Chriſtianis: Ὀρφεὺς, ὃς καὶ τὰ Ὀνόματα Θεῶν πρῶτος ἐξεῦρεν. Qvoniam autem & hæc inter Gentiles vigebat Opinio, Deorum Nomina, inter Homines uſitata; utut a Divinis Viris, his indicata & revelata ſint; non tamen Totam & Vniverſam ſingulorum Deorum Naturam & Amplitudinem ſatis circumſcribere & exprimere; ac proinde, longe alia Nomina, tam Rerum, qvam Deorum ipſorum, inter Deos ipſos, colloqventes, uſitata eſſe, ac hic in Terris, inter

Homines: Idqve ob eam rarionen, ὅτι, ὥσπερ ἄλλαι μὲν θεῶν εἰσι γνώσεις, ἄλλαι δὲ αἱ τῶν μερικῶν ψυχῶν· οὕτω καὶ ὀνόματα, ἄλλα μὲν τὰ Θεῖα, τὴν ὅλην οὐσίαν ἐκφαίνοντα τῶν ὀνομαστῶν, ἄλλα δὲ τῶν Ἀνθρώπων, μερικῶς αὐτῶν ἐφαπτόμενα. Nihilominus tamen & horum Cœleſtium, & inter Deos tantum receptorum Nominum, non omnino ignaros aut ignorantes fuiſſe Priſcos illos Theologos, vulgo credebatur. Id, qvod *Plato* evincit, teſtimonio *Homeri*: Vtpote qvi non diſſimulaverit ſe ſcire, qvibus Nominibus Dii, Res aliter vocent ac Homines: Verbi Gratia, in illo Verſu:

Ὃν Ξάνθον καλέουσι Θεοὶ, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον·

tum in hoc:

Χαλκίδα κικλήσκουσι Θεοὶ, ἄνδρες δὲ Κύμινδιν.

Et ſic in aliis permultis. Vnde facile colligas, nec *Orpheo*, qvem *Homerus*, imprimis hac in re, Περὶ τῶν Θείων Ὀνομάτων, ſcilicet, ex communi opinione, imitatus eſt; hanc Scientiam abjudicaſſe Antiqvos illos Orphei, Orphicæqve Sapientiæ æſtimatores: Cum ei omnem omnino de Diis, Rebusqve & Nominibus Divinis, Scientiam unice acceptam retulerint. Et, ne Monumentum hujus qvoqve Doctrinæ Orphicæ, Περὶ τῶν Θείων Ὀνομάτων; tam Memorandæ, tam Inſignis, deeſſet: Liber qvondam integer legebatur, *Mille Ducentis Verſibus Heroicis* conſcriptus, ΟΝΟΜΑΣΤΙΚΩΝ Titulo inſignitus: a *Svida* laudatus non ſolum, ſed & *Orpheo* Noſtro diſerte adſcriptus. In qvo (ſi *Plato*, Attica illa Siren, dum Etymologiam, vocum Ὀνομαστὸν & Ὀνομαστικὸν evolvit; easqve a μαίεσθαι, id eſt ζητεῖν τὸ ὄνομα derivat; non falſus eſt) Orpheum, aut qvicunqve demum Auctor ejus libri fuerit; Nominum, ſi non aliorum, qvod non credo; ſaltem Divinorum, Appellationem, Vim & Rationem expoſuiſſe eo libentius credo; qvod, cum de omnibus inſigniori-

gnioribus Doctrinæ Orphicæ Capitibus, integri olim Libri exſtiterint & lecti fuerint; de hac tamen, adeo inſigni & memoranda Doctrina, nullus, præter hunc, & qvi huc referri poſſit, Titulus usqvam legatur.

DIODORVS SICVLVS
Libro. I.

Γῆ μήτηρ πάντων, Δημήτηρ πλουτοδότειρα.

Terra Mater omnium, Ceres alma.

CLEMENS ALEXANDR.
Stromat. V.

Καὶ Βέδυ, νυμφάων καταλείβεται ἀγλαὸν ὕδωρ.

Nympharumq; Bedy promanat limpida Lympha.

ΙΕΡΟΙ ΛΟΓΟΙ.

JUSTINUS MARTYR.

Cohortatione ad Gentes; & in Apologia II.

Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι
Πάντες ὁμῶς· σὺ δ' ἄκουε φαεσφόρου ἔκγονε Μήνης
Μουσαῖ'· ἐξερέω γὰρ ἀληθέα· μηδέ σε τὰ πρὶν
Ἐν στήθεσσι φανέντα φίλης αἰῶνος ἀμέρσῃ·
Εἰς δὲ λόγον θεῖον βλέψας, τούτῳ προσέδρευε,
Ἰθύνων κραδίης νοερὸν κύτος· εὖτ' ἐπίβαινε
Ἀτραπιτοῦ, μοῦνον δ' ἐσόρα κόσμοιο ἄνακτα.
Εἷς ἔστ' αὐτογενὴς, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται.
Ἐν δ' αὐτοῖς αὐτὸς περιγίγνεται· οὐδέ τις αὐτὸν
Εἰσοράᾳ θνητῶν, αὐτὸς δέ γε πάντας ὁρᾶται.
Οὗτος δ' ἐξ ἀγαθοῖο κακὸν θνητοῖσι δίδωσι·
Καὶ πόλεμον κρυόεντα, καὶ ἄλγεα δακρυόεντα.
Οὐδέ τις ἔσθ' ἕτερος, χωρὶς μεγάλου βασιλῆος.
Αὐτὸν δ' οὐχ ὁρόω· περὶ γὰρ νέφος ἐστήρικται·
Πᾶσιν γὰρ θνητοῖς, θνηταὶ κόραι εἰσὶν ἐν ὄσσοις·
Ἀσθενέες δ' ἰδέειν Δία, τὸν πάντων μεδέοντα.
Οὗτος γὰρ χάλκειον ἐς οὐρανὸν ἐστήρικται.
Χρυσέῳ εἰνὶ θρόνῳ, γαίης δ' ἐπὶ ποσσὶ βέβηκε,
Χεῖρά τε δεξιτερὴν ἐπὶ τέρματος ὠκεανοῖο
Πάντοθεν ἐκτέτακεν· περὶ γὰρ τρέμει οὔρεα μακρὰ
Καὶ ποταμοὶ, πολιῆς τε βάθος χαροποῖο θαλάσσης.

Loqvar qvibus fas est, fores occludite profani
Omnes simul. Tu vero audi, lucem ferentis, fili, Lunæ
Musæ: dicam enim vera, neq; te, quæ antea
In pectoribus visa sunt, cara vita privent.

In Sacrum vero Sermonem intuens, huic immorare,
Dirigens cordis intelligentiam capacem: recte porro ingredere
Semitam, ſolumqve intuere Mundi Regem.
Vnus eſt ex ſe ipſo genitus, ab uno omnia nata ſunt.
Inqve ipſis, Ipſe ſupereminet; neqve qvisqvam eum
Mortalium intuetur; ipſe vero omnes intuetur.
Hic vero ex bono, malum mortalibus dat
Et bellum crudele, & dolores lacrymabiles.
Neqve eſt alius, præter magnum Regem.
Ipſum vero non video: circa enim Nubes ſita eſt:
Omnibus enim mortalibus, mortales pupillæ in oculis ſunt.
Infirmiores vero ſunt, qvam ut videre poſſint Jovem, omnibus imperantem.
Hic enim in cœlo aheneo ſtabilis ſedet:
Super aureo ſolio: pedibus inſilit terræ:
Et manum dexteram, ad fines Oceani
Vndiqve extendit: circum, tremunt alti montes
Et flumina, & profunditas cani ac ſplendidi maris.

Τῶν Ἱερῶν Λόγων Ῥαψωδίας ΚΔ'. i. e. XXIV. ſub *Orphei* Nomine olim lectas fuiſſe; *Svidas* teſtatur. Cujus Operis Initium, hoc, qvod ex *Juſtino* protuli, Fragmentum, fuiſſe arbitror. Opus ipſum ingens & diffuſum; Rhapſodiarum Numerus ſatis arguit. Argumenti vero Dignitas; tum ex ipſa Inſcriptione, tum ex Verbis hujus Procemii, ſatis, opinor, intelligi poteſt. Complectebatur hoc Opus, Sanctiorem & Secretiorem de Deo Sermonem: Rerumqve & Operum Divinorum, detracto prorſus, aut ſaltem parcius obducto, Fabularum Velo, dilucidiorem Expoſitionem: qvalis τοῖς γνησίοις, ut alicubi loqvitur *Juſtinus*, τῶν Ὀρφέως Ἀκροαταῖς tradi ſolebat; Et non, niſi Myſtis, patebat. Vnde Βέβηλοι, ſtatim ſub Initium Poëmatis, exeſſe jubentur.

Digitized by Google

Sed & alio Titulo, τῶν ΘΕΟΛΟΓΙΩΝ, a Chriſtianis potiſſimum Patribus, eosdem Sermones, citari credo. Qvin, manifeſto, *Juſtinus Martyr*, Hoc ipſum Fragmentum, ἐκ τῆς ΔΙΑΘΗΚΑΙ ἐπιγραφομένου βιβλίου, profert. Qvod tamen *Ariſtobulus*, apud *Euſebium*, ἐξ Ἱερῶν Λόγων depromptum eſſe; diſertis verbis indicat. Vt adeo opus iſtud τῶν Ἱερῶν Λόγων, aut Varias Inſcriptiones habuerit; a variis, vel Orphei Sectatoribus, vel aliis, Chriſtianis, ei affictas: Vel, qvod veroſimilius mihi videtur; Ipſæ Operis diſtinctæ Ῥαψῳδίαι, diſtinctos qvoqve Titulos præ ſe tulerint; Præcipuum cujusqve Rhapſodiæ Argumentum, breviter indicantes. Qvalis forte una alterave Rhapſodia, ſub Διαθήκης Titulo, contenta eſſe potuit: qvod in his, Sanctiſſima imprimis, &, ex Opinione Auctoris, Veriſſima, de Deo, ejusqve Eſſentia, Vnitate, Sapientia, Potentia &c. ἀπλέστατα καὶ ἀφιλέστατα perſcripta erant. Non ſine πρίσμασιν, ad Vitam Sancte & Pie inſtituendam, ſubinde inſperſis: qvod vel ex præſenti Fragmento colligi poteſt. Qvæ omnia Orpheus, tanqvam Florem aut Fontem, univerſæ ſuæ Doctrinæ: ad qvem omnia referenda, & ex qvo ſingula judicanda & inſpicienda ſint; ceu precioſiſſimum Theſaurum, conſignatis qvaſi Tabulis; Muſæo ſuo, ſuisqve Genuinis Sectatoribus, ex Aſſe reliqverit.

Ipſe liber, Antiqviſſimus eſt, & Potioribus annumerandus. Cum ipſe Pythagoras, teſte *Clemente Alexandrino*, pro genuino *Thracii Orphei* Fœtu, eum agnoverit. Vtut alii; & nominatim *Epigenes*, *Cercopem Pythagoræum*: Alii; qvod *Svidas* annotat; *Theognetum Theſſalum*, Auctorem illius prædicaverint. Invenio tamen apud *Jamblichum*, in vita Pythagoræ: Communiter olim creditum fuiſſe; ipſum *Pythagoram*, Auctorem fuiſſe τοῦ Ἱεροῦ Λόγου: Qvem illum non tantum ab Orpheo accepiſſe, docet idem Jamblichus; ſed & Modum & Succeſſionem oſtendit, qva iſta omnia, ab *Orpheo* tradita; demum ad *Pythagoram* devoluta ſint. Et hoc fortaſſis eſt, qvod *Jon Chius* in Τριαγμοῖς prodidit: τὸν Πυθαγόρην ἔνια ποιήσαντα,

Digitized by Google

ποιήσαντα, ἀνενεγκεῖν εἰς Ὀρφέα. Sed, Aliud ab hoc Nostro, Carmen illud Pythagoræum fuisse; colligo: Primo, qvod omnes, qvi Pythagoræi Carminis mentionem faciunt; Vnum tantum Λόγον agnoscant: dum semper numero ἑνικῷ, illud citant, Τοῦ Ἱεροῦ Λόγου: Hoc *Orphicum* autem, fere ubivis plures Λόγους ostendat; & *Syntagma* qvoddam Τῶν Ἱερῶν Λόγων constituerit. Deinde, Initium illius Pythagoræi Carminis, qvod nobis servavit *Diog. Laërtius*, Lib. VIII. plane diversum est ab hoc nostro: Ita enim illud:

Ὦ νέοι ἀλλὰ σέβεσθε μεθ' ἡσυχίας τάδε πάντα.

Igitur sic statuo: *Orpheus*, Sacrum qvendam & Secretum de Deo Sermonem docuit. In qvo, imprimis ex Numerorum Ratione, de Dei Vunitate, aliisqve Attributis disputavit. Hic Sermo, sive ab ipso *Orpheo*, sive ab ejus Sectatoribus, in Litteras relatus: Vel deniqve, nuda Traditione Orali, ita inter Mystas propagatus; tandem ab *Aglaophemo*, *Pythagoræ* communicatus est: Qvi fortassis primus, eum litteris consignavit. Cui deinceps Orphici seu Pythagoræi, (Hi enim unam eandemqve Sectam constituebant) subinde plura addidere, inseruere, Caputqve ei Augustius ac Splendidius, Ipsum hoc nostrum Fragmentum, apposuere. Donec tandem in XXIV. Rhapsodias, Liber excrevit: & jam non amplius Vnus Ἱερὸς Λόγος; sed plures Ἱεροὶ Λόγοι inde emersere. Verba *Jamblichi* consideranti; & ea, qvæ περὶ τῆς Ὀρφέως Θεολογίας τε καὶ Ἱερῶν Λόγων ab aliis Auctoribus consignata sunt, cum istis conferenti; facile apparebit, hæc sine Fundamento a me non ita dicta esse. Vt adeo verum sit, qvod *Proclus* scribit: Ἅπασα ἡ παρ' Ἕλλησι Θεολογία, τῆς Ὀρφικῆς ἐστὶ μυσταγογίας ἔκγονος, πρῶτου μὲν Πυθαγόρου παρ' Ἀγλαοφήμου τὰ περὶ θεῶν ὄργια διδαχθέντος.

Sed, qvod heic dissimulandum non est: hoc Fragmentum a sævis & impuris Interpolatorum manibus, immune haut-

qvaqvam fuit. Qvin, ſi ullum aliud, certe Hoc, miſere habitum eſt ab iis; qvi, neſcio qvo accerſito Fuco, nativæ ejus Gratiæ & Formæ lenocinari inſuper, & ſanctiore qvadam Purpura, male tamen aſſuta, Speciem ejus auguſtiorem reddere, fruſtra, tentarunt. Accuſarem eos, qvi olim, nimio Charitatis Zelo ducti, Fidem Chriſtianam ut acceptiorem facerent Gentilibus; Veritati, qvam ſe propugnare ubiqve jactabant, & re ipſa propugnaverant; Vim Ipſi non ſemel inferre haut dubitarunt: Dum Antiqviſſimis qvibusqve Gentilium Scriptis, ea Dogmata Chriſtianæ Fidei, mala utiqve fide, inſeruere & infarſere; ut, ſi illis fides habenda eſſet; in dirimendis ipſorum Chriſtianorum inter ſe Controverſiis; jam non ad Sacras Litteras, ſed ad dilucidiorem Orphicorum, Sibyllinorumqve Carminum, aut, Hermetis fontem, ſcilicet, recurrendum eſſet: & inde, tam Sacro Sanctæ Triados, qvam Ὁμουσίας ipſius Myſteria, κατὰ ῥητὸν, absqve omni ulteriore Ambage, haurienda eſſent. Niſi, qvod mireris, infauſta *Judæi* manus, manifeſto ſe hic proderet: qvæ Fores perrupit, & ne Propriis qvidem Sacris pepercit, ut Aliena everteret. Carmen, ex *Euſebii* Lib. XIII. Præparat. Evangelicæ, hoc eſt:

Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι·
»Φεύγοντες δικαίων θεσμοὺς, θείοιο τεθέντος
Πᾶσι νόμου. σὺ δ' ἄκουε, φαεσφόρου ἔκγονε Μήνης,
Μουσαῖ. ἐξερέω γὰρ ἀληθέα· μηδέ σε τὰ πρὶν
Ἐν στήθεσσι φανέντα, φίλης αἰῶνος ἀμέρσῃ·
Εἰς δὲ λόγον θεῖον βλέψας, τούτῳ προσέδρευε,
Ἰθύνων κραδίης νοερὸν κύτος. εὖ δ' ἐπίβαινε
Ἀτραπιτοῦ· μοῦνον δ' ἐσόρα κόσμοιο * τυπωτὴν
»Ἀθάνατον. Παλαιὸς δὲ λόγος περὶ τοῦδε φαείνει.
Εἷς ἐστ' * αὐτοτελὴς, αὐτοῦ δ' ὕπο πάντα πλεῖται
Ἐν δ' αὐτοῖς αὐτὸς * περινίσσεται. οὐδέ τις αὐτὸν
Εἰσοράᾳ ψυχῶν θνητῶν, νῷ δ' εἰσοράαται.

Αὐτὸς

Digitized by Google

„Αὐτὸς δ' ἐξ ἀγαθῶν, θνητοῖς κακὸν οὐκ ἐπιτέλλει
„Ἀνθρώποις· αὐτῷ δὲ χάρις, καὶ μῖσος ὀπηδεῖ,
Καὶ πόλεμος, καὶ λοιμὸς, ἰδ' ἄλγεα δακρυόεντα.
Οὐδέ τις ἔσθ' ἕτερος. * Σὺ δέ κεν ῥέα πάντ' ἐσορήσαις,
„Αἴκεν ἴδῃς αὐτὸν πρὶν δή ποτε δεῦρ' ἐπὶ γαῖαν.
„Τέκνον ἐμὸν, δείξω σοι, ὁπηνίκα δέρκομαι αὐτοῦ
„Ἴχνια, καὶ χεῖρα στιβαρὴν κρατεροῖο θεοῖο.
Αὐτὸν δ' οὐχ ὁρόω· περὶ γὰρ νέφος ἐστήρικται
„Λοιπὸν ἐμοί. στᾶσιν δὲ δέκα πτυχαὶ ἀνθρώποισιν.
„Οὐ γάρ κέν τις ἴδοι θνητῶν μερόπων κραίνοντα,
„Εἰ μὴ μονογενής τις ἀπορρὼξ φύλου ἄνωθεν
„Χαλδαίων· ἴδρις γὰρ ἔην ἄστροιο πορείης,
„Καὶ σφαίρης κίνημ', ἀμφὶ χθόνα ὡς περιτέλλει
„Κυκλοτερές γ' ἐν ἴσῳ, κατὰ δὲ σφέτερον κνώδακα·
„Πνεύματα δ' ἡνιοχεῖ, περί τ' ἠέρα, καὶ περὶ χεῦμα
„Νάματος· ἐκφαίνει δὲ πυρὸς σέλας ἰφιγενήτου.
Αὐτὸς δὴ μέγαν αὖθις ἐπ' οὐρανὸν ἐστήρικται,
Χρυσέῳ εἰνὶ θρόνῳ γαίη δ' * ὑπὸ ποσσὶ βέβηκε.
„Χεῖρα δὲ δεξιτερὴν ἐπὶ τέρμασιν Ὠκεανοῖο
„Ἐκτέτακεν· * ὀρέων δὲ τρέμει βάσις ἔνδοθι θυμῷ,
„Οὐδὲ φέρειν δύναται κρατερὸν μένος· ἔστι δὲ πάντως
„Αὐτὸς ἐπουράνιος, καὶ ἐπὶ χθονὶ πάντα τελευτᾷ,
„Ἀρχὴν αὐτὸς ἔχων, καὶ μέσσον, ἠδὲ τελευτὴν,
„Ὡς λόγος ἀρχαίων, ὡς ὑλογενὴς διέταξεν,
„Ἐκ θεόθεν γνώμαισι λαβὼν κατὰ δίπλακα θεσμόν.
„Ἄλλως οὐ θεμιτὸν δὲ λέγειν· τρομέω δέ γε γυῖα,
„Ἐν νόῳ. ἐξ ὑπάτου κραίνει περὶ πάντ' ἐνὶ τάξει,
„Ὦ τέκνον· σὺ δὲ τοῖσι νόοισι πελάζεο, γλώσσης
„Εὖ μάλ' ἐπικρατέων· στέρνοισι δὲ ἔνθεο φήμην.

FRANCISCO VIGERO *interprete.*

Fas qvibus eſt, narrabo: fores claudunto profani,
Qveis ſanctæ leges odio, qvas omnibus auctor
Ipſe tulit poſuitqve Deus. Tu vero micantis
O Lunæ Muſæe nepos, hæc auribus hauri.
Namqve ego vera canam. Tibi ne modo priſtinus error
Æternæ invideat felicia ſecula vitæ:
Sed fixa potius divina Oracula mente
Excipiens, caſto penitus ſub pectore condas.
Ergo age, carpe viam, ſolum interituqve carentem
Suſcipiens Genitorem Orbis. Qvem talibus ecce
Priſca Virum nobis olim monimenta loqvuntur.
Vnus & ex ſeſe Deus eſt, idem omnia condit,
Ac Mundi late partes ſe fundit in omnes.
Mortales fugit ille oculos, animoqve videtur.
Fonsqve boni cum ſit, nulli mala, ſævior unqvam
Ipſe creat: licet hunc vitali Gratia paſſu
Cumqve Odio, Bellumqve, Luesq; Dolorq; ſeqvantur.
Hunc alius præter nemo eſt. Qvem cernere terris
Si prius extantem poteris, facile omnia cernes.
Per me, ſi qva ejus ſeſe veſtigia forſan
Obtulerint, mollesve manus, tu, nate, videbis.
Namq; ipſum per ſe haud video, qvod denſa tuentem
Impediat Nubes, ac dena volumina tardent.
Vnus enim imperio mortalia fata regentem
Noſſe aliqvis potuit Chaldæo a ſangvine cretus.
Norat enim, qva magnus iter Sol flectat in Orbem,
Æqvatosqve habilis circumqve immania Terræ
Pondera, ſed proprio gyros convertat in axe:
Et volucres effuſus eqvos, per cærula mundi
Verſet agens, aurasqve obeat, pelagusqve profundum,

Et

Digitized by Google

Et vivos rutili ſuccendat luminis ignes.
Ille igitur magni ſupra laqvearia cœli
Immotus, ſolioqve micat ſublimis in aureo.
Olli planta humiles ſubter premit ardua Terras,
Oceani extremos attingit dextera fines:
Cujus inexhauſtum qvaſſi ab radicibus imis
Ferre negant robur nutanti vertice montes.
Ergo ut ſiderea nunqvam diſcedat ab arce,
Cuncta tamen noſtris præſens molitur in oris,
Principium in ſeſe ac medium finemq; coërcens.
Hac priſci retulere Viri, Terraqve creatus
Mortalis docuit, Divino abs Numine poſtqvam
Hauſerat, ac Gemino tulerat viventia Saxo.
Illa ſecus vulgare nefas: membrisq; ſolutis
Mecum animo volvens trepido: qvippe ordine cuncta
Deſuper ipſe regit. Tu mentem advertito, Fili,
Frænatæqve potens linguæ, rem pectore ſerva.

Male ſit iſti Interpolatori! qvi turpi hac ſua Verſutia, multos Patres, Bonos Senes, Sanctiſſimos & Simpliciſſimos Viros, in tantum Fraudis induxit; ut ex hoc ſolo Centone, jam fere ubiqve, de præfractis Gentilibus Ἐπινίκια cecinerint: Dum non fortius, Infidelium horum Copias everti & profligari poſſe ſperaverunt; qvam ſi ab ipſo illorum Promacho & Anteſignano, *Theologo Orpheo*, Tela ita mutuarentur & expedirent: Et jam Illum, omnis Theologiæ Græcæ Auctorem & Promum, *Orpheum;* qvi miſeram Græciam, antea, Trecentis amplius Falſis Diis infecerit & deformaverit; tandem Veritatis Lumine victum & convictum, hanc ſtupendam Palinodiam, (ita enim vocant) ceciniſſe, Moſenqve & Abrahamum aperte, non ſine priorum Errorum Pœnitentia, ſeqvutum fuiſſe, oſtenderent, & ex ipſiſſimis Ejuſdem verbis comprobarent. Sed utrumqve Carmen paulo propius inſpiciamus, ut inde Auctoris Fraus, tanto clarius

rius deprehendatur. Primum iſtud ex *Juſtino*, ut dixi, *Martyre*, qvi illud Bis, Iisdem Verbis, recitat; ſemel, in Παραινέσει ad Gentes: iterum, in Apologia Secunda: produximus. Qvi, qvantum ſcio, Primus & Antiqviſſimus eſt, ex iis, qvi hodie leguntur, qvi ejus mentionem faciat. Qvem ſecutus eſt *Cyrillus*, Lib. I. contra Julianum: qvi idem Fragmentum, Iisdem, pene cum Juſtino, Verbis, citat. Omnia in eo plana, integra, genuina, optimeqve ſingula ſingulis cohærentia deprehendes: nihil luxatum, nihil hiulcum aut mancum usqvam invenies. Ἱερὸν Λόγον expoſiturus, Profanos a Limine arcet: Argumenti Dignitatem & Sanctitatem, ad excitandam debitam Attentionem, commendat; Fructumqve ejus ſimul, qvem Lector ſperare inde poſſit, commonſtrat: Nempe, ut Rite, & Secundum Deum, vivere inde diſcat. Inde, Palmarium Punctum, Centrumqve & Caput Doctrinæ inculcat: videlicet, Vnum eſſe Deum Summum, Inviſibilem, Omniſcium, Omnipotentem, Omniparentem: Regem & Moderatorem Vniverſi, Cauſſamqve primam, Omnium, qvæcunqve in Mundo, & in Vita hominum, accidere poſſunt. Hunc eſſe reſpiciendum, de hoc cogitandum, Vitamqve ſecundum eum inſtituendam. Omnia hic contenta vides, qvæcunqve in Præfamine tam ſancti & ſacri Sermonis, dici aut poſſunt aut debent. Sed & illa Verborum & Sententiarum Gravitate; qvæ maxime, & Rei, & Loco, convenit. Ita prorſus, ut nihil qvicqvam, ubiqvam, abundare; nihil deeſſe; nihil tranſpoſitum; manifeſtiſſime appareat. Sed videamus, qvid ſibi Temeritas licere voluerit:

1 Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐςὶ· θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι
Πάντες ὁμῶ.

Hoc eſt Initium, Genuini & Antiqvi Carminis: & ita conſtanter citatur ab *Juſtino*, *Cyrillo*, *Clemente*, & aliis Antiqvis. Niſi qvod deinceps nonnulli commodius legendum cenſuerunt, τὸ θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις, πᾶσιν ὁμῶ. Qvæ Mutatio, non

non heri, aut nudius tertius, a noſtris Criticis, excogitata eſt: ſed jam Antiqvis Temporibus obtinuit: & ex Veteribus Codicibus, ab *Henrico* etiam *Stephano*, typis ita tranſcripta. Hanc lectionem, ex parte arripiens Interpolator; commodum Locum invenit, qvo Legis Suæ Sanctitatem, ſtatim in Limine, commendaret: ſimulqve, qvod intendebat, perſvaderet ſimplicioribus: Orpheum Ipſum confiteri; qvicqvid Sani & Integri usqvam docuiſſet: iſtud omne ex Lege Moſaica ſeſe hauſiſſe. Igitur, Primum Verſum intactum ita relinqvens; Τὸ Πᾶσιν ὁμῶ. ita diſtraxit, ut Πᾶσι Νόμυ inde formaret. Qvod, ut prioribus coaleſceret, Verſus inſerendus erat: cujus priorem partem, Primum Verſum; alteram, Tertium, reſpicere voluit. Enatum ergo inde:

> Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐςὶ, θύρας δ᾽ ἐπίθεσθε βέβηλοι
> Φεύγοντες δικαίων θεσμὲς, θεοῖο τεθέντος
> Πᾶσι νόμυ.

Idem rurſus inculcat, *Verſu IX.* ex ſe affingens integrum:

> Ἀθάνατον. Παλαιὸς ἢ λόγος περὶ τῦδε φαείνει.

παλαιὸς λόγος, i. e. *Lex Moſaica.* Et, ut Creatorem ſimul inculcaret; *Verſu VIII.* Ἄνακτα, mutat in Τυπωτήν. *Verſu X.* Vbi in antiqvo legebatur: Εἷς ἔς᾽ αὐτογενὴς, ut omnem Originis Speciem a Deo excluderet; putavit commodius dici, Αὐτοτελής. Et *Verſu XI.* περιγίγνεται, mutat in Περινίσσεται. *Verſu XII.* ubi legebatur: ὐδέ τις αὐτὸν Εἰσορόᾳ θνητῶν, αὐτὸς δέ γε πάντας ὁρᾶται. Maluit: ὐδέ τις αὐτὸν Εἰσοράᾳ ψυχῶν θνητῶν, νῷ δ᾽ εἰσοράαται. *Verſuum* autem *XIII. & XIV.* Senſum; qvoniam Judaicæ forte Perſvaſioni adverſari videbantur; plane evertit: & mutando, aſſuendo, pervertendo, directe Contrariam Sententiam *Orpheo* tribuit. Dicit Orpheus; Deum, ex Bono, mortalibus Mala dare: Bellumqve & Calamitates immittere. Qvod

vel ita ſimpliciter intelligendum; qvemadmodum *Pythagoras*, Orphei, in omnibus fere, Sectator & Imitator, docuit: Ὅτι θεοὶ, πάντες, ἃς μὲν ἂν φιλῶσι, καὶ οἷς ἂν χαίρωσι, τούτοις διδόασι τ' ἀγαθά, τοὺς δὲ ἐναντίως ἔχουσι, τὰ ἐναντία. Vt interim Bonitati Divinæ nihil decedat. Vel ita, ut *Platonici*, ex variis Bonitatis gradibus, Malum nonnunqvam reſultare docent: dum longa Cauſſarum Secundarum ſeries, a prima Cauſſa defluens, &, vel in Subjectum non capax, vel aliunde male affectum, influens; nonnunqvam Contrarium Effectum extrudit: Vt interim ſingulæ Cauſſæ, recte & ſuo ordine agant; nihilqve ſingularum bonitati decedat. Hæc, vel non advertens Judæus, vel ſibi adverſa credens, omnia turbat; &, cum in Genuino Textu legeretur:

Οὗτος δ' ἐξ ἀγαθοῖο κακὸν θνητοῖσι δίδωσι,
Καὶ πόλεμον κρυόεντα, καὶ ἄλγεα δακρυόεντα.

Fecit:

Αὐτὰρ δ' ἐξ ἀγαθῶν θνητοῖς κακὸν οὐκ ἐπιτέλλει
Ἀνθρώποις· αὐτῷ δὲ χάρις καὶ μῖσος ὀπηδεῖ,
Καὶ πόλεμος, καὶ λοιμὸς, ἰδ' ἄλγεα δακρυόεντα.

Porro, *Verſ. XVI.* Vbi in Antiqvo legebatur,

Οὐδέ τις ἐσθ' ἕτερος χωρὶς μεγάλου βασιλῆος.

Vel, ut Alii legunt, χωρὶς μεγάλοιο ἄνακτος. Qvæ mire conveniunt cum iis, qvæ *Plato* in Cratylo ait: οὐ γάρ ἐστιν ἡμῖν καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν, ὅστις ἐστὶν αἴτιος μᾶλλον τοῦ ζῆν, ἢ ὁ ἄρχων τε καὶ βασιλεὺς τῶν πάντων: ut Viam ſibi ſterneret; per qvam Abrahamum, Chaldæum, in Carmen intruderet; *Tribus* integris *Verſibus*, cum *dimidio*, hoc agit:

οὐδέ τις ἐσθ' ἕτερος, Σὺ δέ κεν ῥέα πάντ' ἐσορήσαις &c.

Inſuper,

Insuper, post Versum, Αὐτὸν δ' οὐχ ὁρόω; *Binos* ex Antiqvo Carmine ejicit, & illorum loco, *VIII. Versus* supponit: in qvibus Abrahami Laudes, & Astrorum Scientiam decantat. Versûs ejecti, qvia singularem, nescio qvam, Gratiam simul & Gravitatem in se continent; merentur sane ut hic repetantur. Sunt autem Hi:

> Αὐτὸν δ' οὐχ ὁρόω. περὶ γὰρ νέφος ἐστήρικται.
> Πᾶσιν γὰρ θνητοῖς θνηταὶ κόραι εἰσὶν ἐν ὄσσοις,
> Ἀσθενέες δ' ἰδέειν Δία τὸν πάντων μεδέοντα.

Post hos, cum in Antiqvo Carmine seqveretur:

> Οὗτος γὰρ χάλκειον ἐς οὐρανὸν ἐστήρικται,

Mutavit:

> Αὐτὸς δὴ μέγαν αὖθις ἐπ' οὐρανὸν ἐστήρικται.

Deniqve, post *Binos* itidem *Versus*; qvos leviter mutat; omnia turbat: & cum magno Tremore ac Animi Consternatione, Majestatem Divinam prædicat & admiratur. Iterumqve provocat ad Legem, a Deo Ipso, Moysi, in Duabus Lapideis Tabulis, perscriptam & traditam: ex qva hæc omnia desumta esse, diserte perhibet. Totumqve demum Carmen ita concludit; qvasi Absoluto & Perfecto jam Toto Opere; nihil aliud dicendum restaret: & Vniversi isti Ἱεροὶ Λόγοι, his Qvadraginta Versibus includerentur.

> Ὦ τέκνον· σὺ δὲ τοῖσι νόοισι πελάζεο, γλώσσην
> Εὖ μάλ' ἐπικρατέων· στέρνοισι δὲ ἔνθεο φήμην.

Ejectis rursus, & insuper habitis iis, qvæ in Vero Carmine legebantur:

— — περὶ γὰρ τρέμει οὔρεα μακρὰ,

Καὶ ποταμοὶ, πλῆς τε βάθος χαροποῖο θαλάσσης.

Et Hæc est ista Larva, qva tot Viri, cæteroqvin Sanctissimi & Cordatissimi, hac tamen in re, non satis cauti, tecti & induti, Judæi hujus Opera; risum potius Gentilibus & contemtum excussère, qvam Timorem & Reverentiam incusserint, erga Illa Sacra; qvæ non melius defenduntur, qvam si Sibi Ipsis Relicta, inqve Se Ipsis Concussa; Ex Se & Suo Auctore, omnem Vim & Efficaciam, contra eos, qvi iis refragantur, depromunt & exserunt. Qvam nos, doloso ejus Sarcinatori, non male detraxisse confidimus.

Sed cessent nunc sane Jurgia, postqvam satis in Fraudem debacchatum est. Virtutem & in Hoste laudandam esse; Vetus Dictum est. Nec, profecto, ab Animo meo aut Moribus alienum. Carmen ipsum, utut interpolatum, utut in Speciem Fraudemqve compositum; Elegans est, Magnificum, Splendidum, Gratiosum: nihil coactum, nihil ineptum, nihil anxie qvæsitum, nihil deniqve, qvod non summopere deceat; (modo Fraus absit) in se continens. Vt facile a Viro Docto & Ingenioso, nec minus Philosopho, profectum esse; judicari possit. Et, ut remoto demum Sipario, & sublata omni Scena, is, qvem volumus, appareat: Fallor, aut est is *Aristobulus*, Hebræus, Philosophus Peripateticus, ob ejusmodi Fraudes, pluribus, jam non semel, notatus: Qviqve Commentarios Explanationum in Moysen, ad Ptolemæum Philometorem, olim exaravit & edidit. Summus alioqvi Vir, &, si Viro Docto, mihiqve, etiam post Fata, Venerando, credendum; Is, cujus mentio fit in ipsis Sacris Litteris, *II. Maccab. I. v. 10.* his conceptis verbis: Ἔτυς ὀγδόυ ἑκατῆ ϰ ὀγδοηκοςῆ, οἱ ἐν ἱεροσολύμοις, καὶ οἱ ἐν τῇ ἰυδαίᾳ, ϰ ἡ γερυσία, καὶ ἰυδας, Ἀριςοβύλῳ, διδασκα-

διδασκάλῳ πτολεμαίου τοῦ βασιλέως, ὄντι δὲ ἀπὸ τοῦ τῶν χριστῶν ἱερέων γένους, καὶ τοῖς ἐν αἰγύπτῳ ἰουδαίοις χαίρειν καὶ ὑγιαίνειν. Qvin, ſi vera perhibent alii, Vnus ex Iis, qvi in Codice Ebræo transferendo in Lingvam Græcam, Operam ſuam Ptolemæo, cum aliis, commodavit: Cujusqve Ingens Opus, Græca Lingva perſcriptum; &, cum in Illuſtri Bibliotheca *Florentina*, tum apud Fratres Benedictinos, *Mantuæ*, in Membranis latere; & Philonem ipſum, tam Doctrina & Præſtantia, qvam ipſa etiam Mole, longe ſuperare; neqve aliud, qvam idoneum Interpretem Editorem exſpectare, jam olim teſtatus eſt *Buxtorfius*, pag. 33. ad librum Coſri. Qvod monuiſſe hoc loco, ſufficiat.

ΦΥΣΙΚΑ.

VT Mundum Vniverſum, Duplicem ſtatuit Orpheus, Νοητὸν & Αἰσθητὸν: Ita Conſiderationes circa hoc Vniverſum, duplici Modo & Ratione inibant Antiqvi: Alii enim τὸν Νοητὸν Κόσμον, ut Παράδειγμα τοῦ Αἰσθητοῦ, conſiderantes; Hoc ſibi præcipuum Negotium dedere; ut docerent: Qva Ratione, ex Illo Fonte, omnis in τὸν Αἰσθητὸν Κόσμον, Motus, Vita, Mutatio &c. & in univerſum, omnis Natura hujus, emanet. Qvæ Effluvia, aut, ſi mavis, Προτουργὰς Αἰτίας, in varias Claſſes, aut Ordines diſpeſcentes; Omnes eas, Deorum Appellatione celebrarunt. Adeoqve omnia, tam intra Αἰσθητὸν Κόσμον, qvam ſupra, & extra eum, Diis replerunt: Nullumqve in Hoc, Motum aut Mutationem invenere, cui non aliqvem Deorum iſtorum præfecerint, &, tanqvam priorem, ejusmodi Motus aut Mutationis Cauſſam, venerati fuerint. Vnde ii, qvi hac Via, in Vniverſo conſiderando, incedebant; ab ipſa Doctrina & Conſiderandi Modo, Θεολόγοι appellati ſunt. Alii, prima iſta Εἴδη, & Προτουργὰς Αἰτίας, valere jubentes; Motum in ſe, ejusqve Effectus, ἐν τῷ Αἰσθητῷ Κόσμῳ, conſiderandum & docendum ſibi propoſuere. Solamqve, adeo, & nudam Naturam, Diis qvaſi deſtitutam, ſcrutari & perveſtigare allaborarunt. Qvi, ab hoc conſiderandi Modo, Φυσικοὶ dicti ſunt: qvaſi dicas, *Naturalium Rerum Inveſtigatores*. Itaqve, cum Illis, *Theologis*, eſſet ἡ Φύσις, ἐσχάτη μὲν τῶν τὸ σωματοειδὲς τοῦτο καὶ αἰσθητὸν, δημιουργούντων αἰτίων· καὶ τὸ πέρας, τοῦ, τῶν ἀσωμάτων οὐσιῶν, πλάτους· πλήρης δὲ λόγων καὶ δυνάμεων, δι' ὧν κατευθύνει τὰ ἐγκόσμια· προηγετοῦσα δὲ, τὸν ὅλον κόσμον, ταῖς ἑαυτῆς δυνάμεσι· καὶ τὸν μὲν Οὐρανὸν, τῇ ἑαυτῆς ἀκρότητι συνέχουσα. Τὴν δὲ Γένεσιν, διὰ τοῦ οὐρανοῦ κυβερνῶσα, πανταχοῦ δὲ τὰ μερικὰ συνυφαίνουσα τοῖς ὅλοις. Hi, *Phyſici*, pro diverſis & variis, qvos ſibi imaginabantur, τοῦ

Κόσμου

Κόσμου & τῆς Φύσεως Limitibus: Naturam, Vel in iis tantum examinabant, qvæ ſunt Infra Lunam, omnem Phyſicam Scientiam, intra hæc ſola Sublunaria, coarctantes: De qvibus *Proclus*, Lib. I. in Timæum Platonis: περὶ γὰρ τὰ ἐνυλότατα, καὶ τὰ ἔσχατα τῆς Φύσεως ἐκεῖνοι διέτριβον, ἀφέντες τὸν ὅλον οὐρανὸν, ἅτε τὴν ὕλην ὁρῶντες. Vel; Cœlum qvoqve, pro Parte Mundi ducentes; Cœleſtia etiam & Sideralia, ad Phyſicas Contemplationes trahebant: Totumqve & omne Conſiderationis ſuæ Objectum, Aſpectabilem hunc Mundum, ejusqve Elementa, Motum, Naturam &c. una cum Cœlo & Aſtris ſibi elegere. Mentalia interim illa Ἀόρατα, Prima, aut Divina, cum omni Deorum Familia, Theologis ſolis tractanda & inqvirenda relinqventes. Qvi poſtremus, τὰ Φυσικὰ, tradendi & conſiderandi Modus, poſt Primos iſtos Sapientes Theologos, ita communiter invaluit; ut ipſe etiam Anaxagoras, a nonnullis, (& nominatim qvidem, a Socrate, ob id notatus qvondam fuerit: Quod, cum, aliis, ſui temporis, Philoſophis Phyſicis qvaſi dormitantibus, & Rerum Motuumqve Naturalium Cauſſas, in ſola Materia qværentibus; Ipſe, primus ex iis, Mentem Formatricem, Primam Rerum Cauſſam, agnoverit & docuerit: In ipſa tamen, deinceps, Naturalium Cauſſarum Expoſitione, Mentis ſuæ plane oblitus; ad Ætheras qvosdam & Aëras potius, illas reduxerit; qvam ad illam ſuam Mentem Formatricem. Interim, non defuere ſubinde, qvi τὰ Θεῖα & τὰ Φυσικὰ, ita inter ſe connexa & cohærentia deprehenderunt; ut Hæc ſine Illis neqvaqvam ſolide vel intelligi, vel etiam explicari poſſe crediderint; qviq; ideo, non ſolum τὰ Αἴτια Effectuum Naturalium Proxima; ſed & τὰ Συναίτια τῶν Φυσικῶν πραγμάτων· Qvin, τὰς Προτουργὰς Αἰτίας, τὸ Παράδειγμα, & τὸ Τέλος, ſolerti & ſollicita cura ſimul inveſtigaverunt. Et Hi, ab omnibus, præcipuam, ſemper, Laudis Palmam reportarunt: Tanqvam ii, qvi Ingens hoc & Specioſum Vniverſum, Divinæ Potentiæ & Bonitatis Vnicum Τεκμήριον, Soli condigne intueri, ejusqve

Decus

Decus & Majeſtatem, æſtimare & enarrare valuerint. Qvam Methodum, Naturalia docendi, Primus & Antiqviſſimus qvisqve, inter Sapientes, religioſe obſervavit. Donec, augeſcente Sophiſtarum & Philoſophorum Numero; τὰ Συναίτια Rerum Naturalium, & Πρωτουργαὶ iſtæ Αἰτίαι, e Phyſicorum Scholis ejici & exterminari cœpere. Qvas tamen, poſt longum intarvallum, reduxit *Plato*. Qvi ob id, & qvod de Diis, rebusqve Divinis, optime & ſapientiſſime diſſeruiſſe credebatur; *Divinus*, cognomine, appellatus eſt: Ejusqve Rei illuſtre documentum dedit, in aureo ſuo Dialogo, qvem *Timæum* inſcripſit. In qvo, ita circa hoc Vniverſum & circa Naturalia verſatur; ut ubiqve ad Primas Cauſſas, Deorumqve Præſidia, recurrat: & Illa, ad Hæc reducat. Sed, qvæ Modeſtia erat hujus Viri; tantum abeſt, ut Sibi, aut propriæ, qva plurimum pollebat, Sapientiæ, hanc, Naturalia ita tradendi Viam, tribuerit; ut potius vel Ipſa Dialogi Inſcriptione teſtatus fuerit, a qvo hæc didicerit: cujusqve ſe Diſcipulum, hac in Parte, agnoſcat: Dum neqvaqvam diſſimulat, Se ſumma & præcipua hujus Doctrinæ Capita, a *Timæo Locro*, qvi ſua a *Pythagora* habebat; potiſſimum hauſiſſe. Cujus etiam Libellus, Verum & Vnicum Antiqviſſimæ illius Philoſophiæ Naturalis, aut Phyſices, Exemplar ac Specimen, περὶ Ψυχᾶς Κόσμȣ καὶ Φύσιος, hodienum legitur: Et ante Annos aliqvot, Opuſculis Mythologicis Phyſicis & Ethicis a *Thoma Gale*, & *Marco Meibomio*, inſertus; nitidiſſime & elegantiſſime deſcriptus, *Amſtælodami* prodiit. Ab hoc igitur, hanc Methodum mutuatus Plato; Divino ſuo Dialogo nihil egit aliud, qvam ut Primi Auctoris, *Timæi*, exiguum Libellum; prolixiore & clariore Commentario illuſtraret: Qvod vel ex Notis, accurata Diligentia, & exqviſito Judicio, Laudato Timæi Locri Libello, in memorata Editione ſubjectis, conſtare poteſt. Interim *Pythagoras* ipſe (A qvo hæc, in Timæum, teſte *Proclo*, manarunt) non aliunde hæc hauſit, qvam ab *Orpheo*. Vtpote qvem ſibi, in omnibus, & imprimis in iis, qvæ circa Deos & Naturam occupata ſunt,

(ut

(ut diſertis verbis teſtatur, non ſemel, ***Jamblichus***, in Ejus Vita) imitandum, & exprimendum unice propoſuit. Sub cujus *Orphei*, Nomine, Librum qvondam lectum fuiſſe, qvi ΤΩΝ ΦΥΣΙΚΩΝ Inſcriptionem prætulerit; teſtatur, cum ***Svidas***: Tum etiam, ***Auctor Etymologici Magni***, in Τριτοπάτορες. Vbi ex iis, qvæ inde affert; facile apparet; non alia Methodo, Auctorem, inibi, in tradendis Rerum Naturalium Cauſſis, uſum fuiſſe; ac ea, de qva huc usqve verba fecimus. Sunt autem illa: Ἐν τοῖς Ὀρφέως Φυσικοῖς, τοὺς Τριτοὺς Πατέρας· Ἀμαλκείδην, Προτοκλέαν, καὶ Προτοκρέοντα. Θυρωροὺς καὶ Φύλακας ὄντας τῶν ἀνέμων. Ὁ δὲ τὸ Ἐξηγητικὸν ποιήσας, (Commentarium, inde, exſtitiſſe etiam, in hunc olim Orphei Librum, videre eſt) Οὐρανοῦ καὶ Γῆς Φησὶν αὐτοὺς εἶναι, ὀνόματα δὲ αὐτῶν, Κόττος, Βριάρεως καὶ Γύγης. Qvem eundem Locum & Librum, in Animo habuit, *Iſaac. Tzetzes*, Commentario. ad Lycophronis Verſum 738. Vbi inter alia, hæc qvoqve leguntur: Ὁμοίως δὲ καὶ τὸν Αμακλείδην, καὶ Πρωτοκλῆ, καὶ Προτοκρέοντα, ὥς Φησιν Ὀρφεύς· Οὕτως οὖν ἔφασαν αὐτοὺς καὶ δεσπότας εἶναι ἀνέμων, ὡς καὶ δέειν ἀσκοῖς, ὃν βούλοιντο αὐτῶν, τοὺς δ' ἄλλους ἐᾷν πνεῖν. Ex qvibus, *Tzetzis*, Verbis; illa, ***Auctoris Etymologici***, emendanda eſſe; cenſet *Cl. Barneſius*: Suis, ad Illum, Emendationibus.

ΑΣΤΡΟΝΟΜΙΑ.

SEnſuum, in homine, ad Intellectum ὁδηγίας, tanta Vis eſt; ut jam dudum, defæcatarum qvoqve Mentium, freqvens Effatum innotuerit: Nihil eſſe in Intellectu, qvod non ante fuerit in Senſu. Ita videmus, Senſuum Ludibria, non ſolum imperitum, & omnium ignarum Vulgus; ſuffocata qvaſi, plerumqve etiam velut plane extincta Ratione; pro lubitu ſuo ducere: Sed Sapientes qvoqve, cætera, Mentes, illorum Præſtigiis, nonnumqvam ſuccumbere; aut ſaltem, ad tempus qvodammodo, faſcinari. Vt, anteqvam Plenum Rationis Lumen illis effulgeat; tantiſper Crepuſculum qvoddam, inter Senſuum Vmbras, & Veritatis Lucem undulans; cum magno ſæpe Æſtimationis ſuæ, apud Imperitos, Detrimento, experiantur. Ex omnibus autem, qvibus Intellectus Satellitium inſtruxit, Senſibus, Dei & Naturæ provida Cura; nullum vivaciorem eſſe, qviqve plus in Rationem poſſit, *Viſu;* vel inde evinci poſſe, arbitror: Qvod nullus, ex omnibus, in Homine, Senſus, firmiora ſui Veſtigia, in eorundem Imaginatione (ad qvam fere omnis ſe Ratio imprimis, vel cognoſcendo vel judicando convertere ſolet) relinqvat; qvam *Oculorum Senſus.* Abſolutiſſimæ Harmoniarum Muſicarum Deliciæ, cum moveri deſierunt, Aureſqve prætervolarunt; Animum fere ſimul relinqvunt. Aut, ſi qvid in eo movent amplius; ultra Somnii ſpeciem qvandam, nec tangunt, nec movenr, nec relinqvunt. Guſtus, Odoratus, Tactus, illecebræ; in Vſu pereunt: nec niſi Momentaneam Voluptatem oſtendunt potius, qvam præſtant. Qvæ autem ſemel per Viſum, Intellectui exhibentur; ea ita ſimul Imaginationi imprimuntur; ut illorum Species, poſt longiſſimum etiam Temporis decurſum, toties repetere inde Reminiſcentia poſſit; qvoties Intellectus aut Rationis, vel temere emiſſus illo Radius, obiter veluti ita, repetere, ſibiqve

ante

ante oculos illa ponere jusserit. Vt adeo, si ex Sensuum Oeconomia, Reginæ Rationis Ministerium, disponere & dispertiri liceat; inter hos Reginæ Ministros, Primum sibi, jure suo, Locum vindicare posset, Oculorum Sensus. Ita, ut eandem, Hic, & teneat & regat, adeo, ut, qvicqvid hic Rationi commendat; illa pro rato & confecto jam, judicet & promulgeat. Inde, *Testis Vnus Oculatus, plus, qvam Auriti Decem.* Inde, *Manus Oculatæ.* Inde nemo, qvod semel Vidit; vel exqvisitissimis, cujusvis Sensus, in contrarium prolatis speciebus, sibi deleri, aut saltem dubium reddi patitur. Cum autem omnis hujus Sensus Fomes & Excitamentum in Lumine consistat; qvis dubitabit, *Astra, Fontes Luminis*, Prima fuisse, qvæ Hominum Mentes, Alias, extra se, res cognoscendi, desiderio aliqvo tactas, in sese converterint; suiqve primam Attentionem, ex Admiratione ortam, erga sese excitaverint? Imprimis, cum Astrorum, & præcipue, Maximi illius & Præstantissimi, *Solis*, diffusissimum Lumen, non solum ineffabili Voluptatis Sensu, advertentium Oculos Mentemqve illustret & præstringat: sed occulta sua, qvin manifesta potius, Vi, omnibus, in universum, Rebus, Vitam & Spiritum qvasi inspiret ac infundat. Nemo tam pingvis, tam torpens sensu, facile erit (ut a Sensuum experientia nondum discedam) qvi post plures Dies nubilosos & obscuriores, non intimis sensibus recreetur, & sensibile admodum, Vitæ suæ, velut Augmentum qvoddam, sentiat; si Serenum Sidus, dissipatis & disjectis tandem nebulis, Purum Clarumqve effulserit? Qvotusqvisqve non ... sudo & sereno Cœlo, id est, Lumine, qvaqva versus, libere, & sine obstaculo commeante; Alacrior & Vivacior, qvodcunqve, imprimis Animi, Opus peragit? Segnis & opaca Tellus ipsa, Vitam qvasi denuo recipit, & speciosior se ipsa fit; cum suus Titan ei appropinqvat: & arctiorem, diuturnioremqve Amplexum promittit. Taceo, Muta etiam Animantia, & Volucrum Genus aëreum, tum præcipue Vitæ & Generationi mancipari & studere.

dere. Gemmarum fulgor, Auri Argentiqve Splendor, & qvicqvid originalis & primigeniæ Lucis, vel tenuiſſimum Radium, in ſe concludit; efferveſcit: Qvin, viliſſima Lana, Murice tincta, Lætius Rubet; Si Solis Jubari exponantur & committantur. *Arabes* narrant; Verum Fictumve ſit: Abrahamum, qvamprimum in lucem editus fuiſſet; qvo tutus a Chaldæorum Inſidiis ſervaretur; qvi ei Necem intentabant, qvod Diis ſuis Hunc Hominem fatalem fore, Aſtrologorum Vaticinia cecinisſent; à Patre, Speluncæ cuidam commiſſum & incluſum fuiſſe: inibiqve detentum, donec Virilis Ætas, & Periculi Oblivio, eum a Chaldæorum Minis vindicaſſent. Inde egreſſum aliqvando Noctu, primum Oculorum ictum, ſudo & ſereno cœlo, ad Aſtra direxiſſe: cumqve diu attonitus, & qvaſi extra ſe raptus in Obtutu illo Cœleſti defixus hæſiſſet; &, dum ſingulas luſtrat & miratur, tandem in Veneris Stellam, Lucidam illam & Scintillantem, incidiſſet; ibi vero ſubita qvadam, & Venerationis plena Religione, Mentem ejus ita perculſam fuiſſe; ut Humi proſtratus, ſpecioſum iſtud Sidus adoraverit: alta ſimul & ſonora Voce inclamans: Hic eſt Deus meus, & Creator meus. Non multo poſt autem, cum Luna interim ſurrexisſet, pura & ſerena; nec tantum illam Alteram, ſed totum reliqvum Stellarum Agmen, ſuo Splendore viciſſet, & non parum earum ſpeciei detraxiſſet; toto Vultu, verſus Hanc delatum, priorem Sententiam mutaſſe: & hanc Solam, hanc Vnicam, Deum ſuum & Creatorem ſuum ſalutaſſe. Dum vero hoc agit, dum ſtupet, dum trepidat, dum veneratur; Ecce, jam purum & plenum Solis Jubar, Cacumen Montis ſuperaverat. Refugiſſe ad primum adſpectum Abrahamum, & utraqve manu Vultui objecta, qvantum pedibus valebat, Speluncam ſuam repetiiſſe. Mox, viſo novo, Telluris, Radiis Solaribus colluſtratæ, ſpecioſo habitu; deprehenſa Stellarum omnium, & inter has, Ipſius etiam Lunæ Fuga; qvin, Ipſum

Se

Se qvoqve, blandiſſimo, tepentis auræ, inſveto ſibi antea, Calore, Animatum: Totum erga hujus Sideris Majeſtatem converſum; demiſſis Oculis, Veniam primo præcipitis ſui temerarii Judicii rogaſſe; Inde, Formidine ſimul & Amore erga hoc auguſtiſſimum Sidus plenum, Alta, qva poterat, Voce proclamaſſe: Tu Tu, qvicunqve demum es, es vere Deus meus, es Creator meus, qvo Splendidius, qvo Altius, qvo Pulchrius nihil, ne excogitari qvidem, poteſt. Et jam Vota Cultumqve meditatum fuiſſe: Cum ſubito ei adſtiterit Angelus, qvi ei, retracto inde, Verum Deum, Verumqve Dei Cultum deinceps commonſtraverit. Qvid miri igitur, ſi aliqvi ex Primis Hominibus, Rudibus iſtis & Ignaris, qvi præter occultum & tacitum illum Naturæ, ad Divinitatem qvandam agnoſcendam, Ductum; nihil unqvam fortaſſis de Inviſibili Deo audivere; Majeſtate, Virtute, Sublimitate, deniqve Præſentiſſimo hujus Solis Adjumento præſtricti; eum pro Deo, & qvidem Summo ac Præſtantiſſimo habuerint? cujus contemplationi, qvanto magis, pro captu ſuo, intenti erant; tanto plura admiranda ſemper, in Illo, & circa Illum, deprehendebant. Et profecto, Cœli & Aſtrorum ineffabilem Pulchritudinem, inexhauſtaqve ſemper Beneficia cogitans; parum abeſt, qvin credam, Naturalem illum Hominibus Affectum & Motum, omnibus communem: qvo aliquid impenſius vel admirantes, vel dolentes, vel optantes etiam; Oculos Surſum & Cœlum verſus conjicere ſolemus; fieri & excitari: qvod Inde potiſſimum, ex Cœlo & Aſtris, præſentem Animi & Corporis Vim & Sanitatem, (imprimis claro illo & ſereno) experiamur Homines: & ob id ipſum, Cœlum, tanqvam Sedem & Domicilium Dei, (qvi nullo Loco, nec Mundano, nec Extramundano circumſcribi aut concludi poteſt) reſpiciamus & veneremur. Accedit aliud, Hoc non inferius, Argumentum: qvo permotos primos qvoſcunqve Mortales credam, ut Aſtro-

rum, præcipue vero, Magni illius Solis Speciei, & imprimis Motui; Animi & Mentis Attentionem præcipuam & primam contulerint. Nempe, cum jam ab omni Mortalium memoria, Temporis Ratio, a Cœli Solisqve imperio & directione judicata & inita fuerit; nihilqve Primo isti & Perpetuo Mobili, ad qvod Tempora unice describi & definiri possunt; simile aut secundum, omni, qvantavis maxima & intensissima Humanæ Rationis Industria excogitari unqvam potuerit: Tempus autem, temporisqve Dimensio, Res adeo Homini Propria sit, ad Eundemqve ipsum ita pertineat; ut Solus Homo, ex omnium reliqvarum Rerum numero, & cunctas suas Actiones ad Temporis Statum & Rationem conformet; Vnusqve & Solus Thesauros Temporis intelligere & æstimare valeat: Vero sane valde simile videtur; Cœlestis Motus Observationes, jam cum ipso, Humanæ Rationis, Vsu cœptas & institutas fuisse. Vnde Primas & Antiqvissimas qvascunqve Nationes, ab Ingenii & Rationis solertia, hodienum celebratas; non ex alia fere, qvam Astrorum Scientia, propriam sibi Gloriam qvæsivisse, eamqve apud Posteros hodie invenisse, deprehendimus. Qvod si igitur ad Primordia qvasi Rerum, Conjectura retrogredi, & simplicioris adhuc Humanæ Rationis, Prima Seria; Scientiarumqve, ut ita dicam, Primam Infantiam, hariolando describere aliqvo modo liceat; dixerim: Homines istos, modo recensitis, aut aliis insuper, Rationibus inductos; Solis primum, tam Speciosi, tam Exstantis, tam Benefici, deniqve, tam Necessarii Sideris, Motum respexisse, eumqve accuratius observasse. Cumqve se Primus obtulerit Motus ejus Diurnus; qvo, modo diutius supra Horizontem commorari, modo breviori spacio illum Cursum absolvere deprehenditur: Inde hæ primæ, tam inæqvalis Motus, Caussæ, investigandæ erant. Qvas, cum sine Respectu ad alias, Minores Stellas, describere & explicare accuratius non potuerint; Augmentata inde & Amplificata, necessario ita, Cœlestis hæc Scientia; Fixarum, qvas vacant, Stella-

Stellarum Naturam, Poſitum, inter ſeſe Reſpectum, communemqve Motum &c. conſiderare & annotare cœpit. Inde, Diſtantiarum, Altitudinum, Stellarum in Signa Complexuum &c. Definitiones; Inde etiam, Aſtrorum, jam ab iſtis Antiqviſſimis Temporibus, *Homero*, *Heſiodo*, aliisqve etiam commemorata, ad Noſtra usqve Tempora derivata, & retenta hodienum, Nomina. Cum autem in his Obſervationibus animadvertiſſent; Solem, ultra certa Aſtra, in Decurſu ſuo, non adſcendere; nec infra certa etiam, deſcendere: Inde Eclipticæ, Zodiaciqve; & paulatim, proficiente Scientia; reliqvorum qvoqve Circulorum, imaginaria Deſignatio, ſponte ſeqvebatur. In qvarum Obſervationum progreſſu, cum illis Errantium qvarundam Stellarum Motus peculiaris non potuerit non ſeſe ſubinde obferre: Adhibita, harum qvoqve Motui, Cura, tandem Planetarum, ut vocant, Theoria, Aſtronomiæ Obſervationibus acceſſit. Et deniqve, accedentibus ſubinde novis Curis, novisqve Obſervationibus, Ἐκλείψεων qvoqve rationes, cæteraqve hujus Scientiæ Præcipua & Propria Capita, inveſtigata & inventa fuere. Qvas omnes Obſervationes, jam ab Antiqviſſimis inde Temporibus, a Viris Sapientibus collectas, & ordine diſpoſitas, Nonnulli ex iis, Scripto, &, qvi Priſcorum Mos erat, Carmine, comprehenſas, publici uſus fecere. Qvalem Aſtronomiam, *Orpheus* qvoqve inter Græcos, Litteris conſignatam, Poſteritati reliqviſſe, annotatur a *Svida*. qvem etiam *Lucianus*, primum agnoſcit, qvi Græcis hanc Doctrinam tradiderit: Dialogo de Aſtronomia: Ἕλληνες δὲ, οὔτε παρ᾽ Αἰθιόπων, οὔτε παρ᾽ Αἰγυπτίων ἀστρολογίης πέρι οὐδὲν ἤκουσαν, ἀλλά σφιν Ὀρφεὺς ὁ Οἰάγρου καὶ Καλλιόπης, πρῶτος τάδε ἀπηγήσατο. i. e. *At Græci nihil vel ex Æthiopibus vel ex Ægyptiis, de Aſtrologia audiverunt: ſed illis Orpheus, Calliopes & Oeagri filius, hæc primus explicavit.*

PRO-

PROCLVS.

Libro III. in Timæum Platonis.

Μήσατο δ' ἄλλην Γαῖαν ἀπείριτον, ἥντε Σελήνην
Ἀθάνατοι κλήζουσιν, ἐπιχθόνιοι δέ τε Μήνην.
Ἣ πόλλ' οὔρε' ἔχει, πόλλ' ἄστεα, πολλὰ μέλαθρα.

Struxit autem aliam Terram immensam, qvam Selenen
Immortales vocant: Homines autem, Lunam.
Quæ multos montes habet, multas urbes, multas domos.

IDEM. Libro IV. in Timæum.

Ὄφρ' ἐν μηνὶ τρέπῃ, ὅπερ Ἥλιος εἰς ἐνιαυτόν.
Vt intra Mensem vertat, qvod Sol in annum.

ΔΩΔΕΚΑΕΤΗΡΙΔΕΣ.

QVod si Plato, ullo modo, Tempus bene definivisse dici potest; qvod sit Εἰκὼν Αἰῶνος Κινητὸς, *Mobilis Æternitatis Imago:* Æternæ, profecto, Mentis Humanæ, hujus caduci Temporis terminis circumscriptæ, & pene inclusæ, Nobilissima & Propria Occupatio est; Ipsius *Temporis*, sive adumbrati Hujus, sive absoluti Illius, Æternitatis, Contemplatio. Vtpote qvæ isti Originem, huic, præsentem Vitam debet. Et Æternitatis qvidem contemplatione, se ipsam, miro Voluptatis sensu, pascere & reficere facile potest: Hujus autem, in qvo vivit, Temporis, accurata Ratio; qvam Mens, Corpori inclusa, secum init; si Vsum, non Voluptatem tantum, respicias & attendas: longe illam alteram anteire, eaqve potior esse videri possit. Cum & hoc, in qvo heic vivit, Tempus; ei Præsentius est: & præsentiorem, ob id ipsum, Attentionem sibi deposcit: Et, ex hujus recto Vsu, omnis Spes Illius Æternitatis ei profluit & dependet. Vsus autem omnis hujus Temporis, ad Tria illa, sive Momenta, sive Partes Temporis, restrictus ac alligatus est: *Præteritum*, *Præsens*, & *Futurum*. Qvibus Momentis, qvæcunqve Mens recte utitur; eam qvoqve Recte heic Vivere, & Æternitatis Fructum, non vana Spe, sibi polliceri posse; constanti, omnium cultarum mentium, Consensu, asseritur. Si enim Præsens Momentum ita transigas; ut ejus te in futurum non pœniteat; qvod retro est, Præteriti Temporis; nullam tibi unqvam, in præsens, molestiam pariet: sed & Præsens momentum formabit, & Futura diriget: ut inoffenso Felicitatis tramite, hoc, qvantum qvantum est, Vitæ Stadium, ad Æternitatis Metam, cautus & tutus decurrere possis. Sed profecto, nisi Potiora & Sanctiora obstarent; haberet Mens Humana, qvo incusare Naturam merito posset: Qvod scilicet, ex tanta, sibiqve tam conjuncta & necessaria Re, tam

Exiguum Momentum reliqverit, qvod in ſua Poteſtate habeat. Qvin, dum & Huic manus injicere parat, iſtud jam effluat, & ſuum eſſe deſinat: Momentum, ſcilicet, Præſens. Qvod, dum diſponere & formare Mens noſtra ſtudet; jam excidit: & in Præteritorum Chaos devolvitur. Ex qvo nihil jam tuo Vſui relinqvitur; præterqvam, qvod, ſi Præſentia Momenta rite collocaveris; Momentaneam Voluptatem, ex Recordatione illorum, tecum percipias: tum etiam illa Exempli loco habeas; ad qvæ Præſentia rurſus formes & componas. E contrario vero, ſi Præſens momentum non bene collocaveris; Pœnitentiæ Tormenta, non ſolum Præſentia Mœrore & Moleſtia conficient; ſed & Futura, metu abominanda & deteſtanda reddent. Cum itaqve ſolius Præſentis Momenti Poteſtas, Humanæ Menti relinqvatur: Præteriti autem aliqvis; & ſane exiguus ſatis Vſus: Maxima & Præcipua Temporis pars, *Futurum*, qvod extenſione ſua, in omnem Æternitatem excurrit; penitus ei ita erepta eſt; ut nihil ejus, ac ne minimum qvidem, vel in poteſtate Mentis remaneat; vel ullo in Vſu eſſe poſſit. Et, licet Mens, bene etiam culta, ex Præſentium & Præteritorum Comparatione, Futura nonnunqvam providere & componere ſibi videatur: Tot tamen Subitis & Inopinatis; qvæ nullo unqvam ϛοχασμῷ attingi & deprehendi poſſunt; illa omnia, plerumqve, ita conturbantur & deſtruuntur; ut, dum illa miratur & obſtupeſcit Animus; ea jam Mentem prætervolaverint, & in Præterita reciderint. Qvam inſignem & memorandam, Futuri omnis Temporis, Jacturam; Egregiæ, Veterum Sapientum, Animæ (poſtqvam Æternitatem vel Natura ſua, vel Contemplatione, ſemel deguſtarunt) tam ægre tulere; ut mille Artes, mille Vias, indefeſſo ſtudio, tentaverint, perveſtigaverint: qvibus eam vel qvodammodo reparare, ejusqve, ſi non omnem; ſaltem aliqvem Vſum, ſibi vindicare valerent. Et, cum ſemel ſe deprehendiſſe crederent; omnia heic Sublunaria, ſub Neceſſitate ſtare; eamqve ipſam Neceſſitatem eſſe, qvæ omnis

Futuri

Futuri Vſum Mortalibus eripiat, eosqve qvaſi excoecet; ne in Futurorum Lucem, Aciem Mentis promovere poſſint: Prometheo Auſu, ipſam Neceſſitatis Arcem, Cœlum & Superna illa, aggredi, & illic ſe, tacito Mentis Scrutamine, inſinuare auſæ ſunt: ſi qvas ibi Providentiæ Scintillas clam ſubfurari, iisqve ſecum deinceps in hæc inferiora deportatis, Lucem aliqvam Mortalibus accendere qvirent: Qva in Futuri Temporis Arcana, aliqvantum proſpicere, indeqve, Præſentis Vitæ Vſum, tanto melius, formare & inſtituere poſſent. Qva autem Solertia, qvo Studio, ibi omnia perreptaverint Sublimes iſtæ Mentes: teſtantur tot, & innumeri fere Divinationum Modi: qvos ſe reperiſſe, & ſecum in Terras deportaſſe, ſibi perſvadebant. Et ex Mente qvidem ipſa Δημιουργῶ, deprehendiſſe ſe credebant: Noſtris qvoq; Animabus, Scintillam qvandam adhærere, certo Στοχασμῷ, & Præſagiendi Facultate præditam: qvæ commodius & opportunius ſeſe exſerere, ſuumqve negocium agere non poſſit; qvam ſi Anima, a ſervilibus Officiis, Corpori debitis, vacans; ſibi ipſi tota relicta, & propriæ ſe Virtuti ſuæ involvens; in ſe ipſam qvaſi redire, & ſecum habitare tota permittatur. Nempe, dum Corpus, Sopore ſepultum, Animæ Officia negligit. Ibi tum, Præſagam illam Mentem, Animæ, Futurorum Theſauros nonnunqvam recludere, & aliqva, qvæ in futurum Vſum accommodare poſſit; oſtendere ſolere. Vnde illis omnis Scientia Ὀνειροκριτική: & ſi qvæ alia, *ex Somniis, Vaticinia*, fluxere. Cumqve hunc στοχασμὸν, Animam, Corpori adhuc dum incluſam, comitari crederent; Facile ſibi perſvadebant: Reliqvas Animas, qvæ aut corpora ſua reliqverint; aut etiam nullo unqvam Corporeo Cantactu inqvinatæ fuerint; longe perfectiore, Futura prævidendi, Facultate, præditas eſſe. Qvare omne ſtudium adhibebant, Vias & Modos inveniendi, qvibus eas demulcere, ſibiqve Propitias & Amicas reddere poſſent: Vt ex Scientiæ ſuæ Theſauris, ſibi interdum, ſi opus eſſet, nonnulla depromerent. Inde *Ceremoniæ*, *Carmina*, *Suffimina*,

na, *Libamina*, *Mactationes*, *Honores*, & alia; excogitata. Qveis *Genios*, *Manes*, *Lares*, *Dæmones*, placarent: ſibiqve ita, in hunc finem, conciliarent. Porro, cum Numina hæc, Qvaliacunqve, his Inferioribus præeſſe, horumqve curam, a Superioribus, His demandatam eſſe, perſvaſi eſſent: Per eadem illa, ſibi de futuris ſciſcentibus, Reſponſa dari, credebant. Inde *Elementorum Cultus & Sciſcitatio*: Inde *Ignis crepitus*: Inde *Auguria*: *Portenta*: *Signa*: *Haruſpicinæ &c.* Inde etiam ipſa *Oracula*: χρησμοὶ; *Vaticinia*: vel ab his Inferioribus, vel etiam Supernis illis & Cœleſtibus, immiſſa & prodita. Sed, cum hæc omnia, nihilominus Hic, & in Ἀνάγκης Regno, agi & fieri viderent: Iſtis non ſemper eam Fidem habuere; ut tuto, & ſine ullo dubio, His Talibus, ſe, & res ſuas, omnino credere & committere ſe poſſe adducerentur. Maxime, cum harum Prædictionum Ambiguitas, Obſcuritas, Fraus interdum; Ceremoniarum autem, per qvas elicerentur, Difficultas, Varietas, Numerus, & mille alia; Veritatem, ſi non dubiam, ſaltem ſuſpectam reddere videbantur. Qvamobrem ultra Neceſſitatis Regnum ſibi aſcendendum, & Illic, ubi Nihil Mutatur, Certum & Conſtans qværendum eſſe, ducebant. Nempe in ipſis Aſtris. Qvæ, cum ipſa Neceſſitatem Infernis dictarent; & proxime Mentem, Omnis Temporis Complexum, attingerent; nec falli in his, nec fallere poſſe, firmiter ſibi perſvadebant. Cumqve jam Conſtantiam, immutabilem Ordinem, perennem & æternam Rectitudinem Aſtrorum, aliunde didiciſſent; & inoffenſam Temporum, per tot Sæcula & Millenarios, ab iiſdem Aſtris profectam conſtantiſſimam Ordinationem & Dominium experti eſſent: Non aliunde Certiora, Futuri Temporis, Specimina & Vaticinia hauriri & derivari poſſe arbitrati ſunt; qvam ex his ipſis *Aſtris*, qvæ Tempora formarent, diſponerent, diſtingverent, ordinarent, concluderent. Inde omne *Aſtrologiæ* Studium: Pretium: Exiſtimatio. Adeo, ut ipſa Aſtronomia, non ob alium magis Finem,

nem, ab initio, inventa, & deinceps, a Sapientiſſimus qvibusqve Gentibus, exculta videatur; qvam ob hunc ipſum: Vt Homines, præter Temporum diſtinctam Ordinationem, imminentium qvoqve ſibi Fatorum Præmonita, inde addiſcant. Qvod Antiqviſſimæ, Chaldæorum, Ægyptiorum, Græcorum, Artes, ſatis evincunt. Ex hac, Infiniti porro, Futura inqvirendi, præſagiendi, prævidendi & prædicendi Modi pullularunt: Ex Aſtrorum nempe, vel ſingulorum, Natura, interna Conſtitutione, Ortu, Motu, Occaſu, Poſitu, Defectu &c. vel plurium inter ſe Aſpectu, Reſpectu, Conſtellatione, Concurſu, Receſſu &c. enati & producti. In qvibus, tanqvam indubiis & plenisſimis Fatorum Pandectis, non ſolum ſinguli Homines, ſed integræ etiam Civitates, Regna, Gentes: qvin totus, qvantus qvantus eſt, hic Inferior Mundus; Futurorum, ſe concernentium, arcana diſcere & depromere poſſit. Vnde hujus Artis Magiſtris, Bipartita demum fluxit, Futura, ex Aſtris, prædicendi Ratio: Prior, qvæ ex Stellarum Poſitu, Vniverſales Rerum Eventus prædicit: pertinentes ad Integras Gentes & Nationes: ut ſunt, Peſtilentiæ, Bella, Vbertas aut Raritas Frugum, Tempeſtates, Tempora plantandi, ſerendi, metendi &c. Altera, qvæ etiam Genethliaca, & proprie Aſtrologia Judiciaria, hodie dicitur: Singulorum Hominum Fata inqvirit: ut Vitam brevem aut longam, Fortunam, Honores, Divitias &c. Qvorum Scrutinium variis & diverſis porro Modis, Omnibus hodie notis, inſtituebant. Inter qvos non Infimus eſt, διὰ δωδεκαετηρίδων, prædicendi Modus. Qvem *Orpheum* jam docuiſſe, & Scripto reliqviſſe; tradit *Iſaac. Tzetzes*: in ſuis ad Lycophronem Commentariis. Qvos, aliqva ex parte, excerpſit, & ſimul Hanc, per δωδεκαετηρίδας, Vaticinandi Artem; dilucide expoſuit, *Joſeph. Scaliger*. cum in *Theſauro Temporum Euſebiano*; in, *de Emendatione Temporum Libro*; tum imprimis, in *Notis ad Manilium* Qvi eandem Artem docet *Lib. II. Aſtronomic.* Nos Fragmenta, qvæ *Tzetzes* ex hoc *Orphei Opere* conſerva-

vit; heic ſubjungimus. Conjecturas Scaligeri, hæc Fragmenta interpretantes, qvi volet, Libris citatis legat.

JOH. TZETZES.

Hiſtor. Chil. XII.

Δωδεκαετηρίδων Ἀρχή.

Δεῦρο νῦν οὔατά μοι, καθαρὰς ἀκοάς τε πετάσσας
Κέκλυθι τάξιν ἅπασαν, ὅσην τεκμήρατο δαίμων
Ἔκ τε μιῆς νυκτός τ' ἠδ' ἐξ ἑνὸς ἤματος αὔτως.

Huc nunc aures mihi, purosqve auditus explicans,
Audi ordinem omnem, qvem ſignavit Deus
Ex una nocte, ſive ex una die ſimiliter.

Adnotat Scaliger, Canon. Iſagogic. Chronolog. Lib. III. Hoc eſt, ex Horoſcopo Nocturno aut Diurno. Nam Dodecaëteris illa Onomacriti, eſt vera Genethliaca.

ISAACIVS TZETZES.

Scholiis ad Lycophronem.

Ἔσται δ' αὖθις ἀνὴρ ἢ κοίρανος, ἠὲ τύραννος,
Ἢ βασιλεὺς, ὃς τῆμος ἐς οὐρανὸν ἵξεται αἰπύν.

Erit autem iſte Vir rurſus, aut Dynaſta, aut Tyrannus
Aut Rex, qvi aliqvando in cœlum elevabitur.

Scaliger, Libro citato: Eſt enim Apoteleſma Genethliacum, qvo Chaldæus ſciſcit, Illum, qvi tali Horoſcopo naſceretur, aut Regem, aut Tyrannum, aut Dynaſtam futurum. Non igitur obſcurum eſt, qvare illud Opus Onomacriti Dodecaëteridos Titulo proſcriptum fuerit.

IDEM.

IDEM. Opere citato
&
HENRICVS STEPHANVS
in Poëtis Principibus Heroici Carminis Græcis.

Ἀστραίη κούρη δ᾽ ἣ πέλει πρὸς ἅπαντα φερίστη
Σπέρματα· καὶ δ᾽ ἣ φυτοῖσιν ἐναίσιμος· ἔν τε βόθροισι
Βάλλειν ἔρνεα πάντα τά τε δρυὸς ἄκρα λέγονται.
Οἴνας δ᾽ ἐξαλέασθαι· ἐπεὶ στυγέει περίαλλα
Ἰκαρίου κούρη ληνοὺς καὶ ἀδευκέας οἴνας,
Μνωομένη ὅσα λυγρὰ διωνύσοιο ἕκητι
Ἀκταῖοι μήσαντο, μέθῃ δεδμημένοι αἰνῇ·
Ἰκάριον καὶ μιν στυφελαῖς κορύνῃσι δαΐξαν,
Σφαλλόμενοι δώροισι χοροιμανέοιο βάκχοιο.

Astræa autem Virgo, optima est ad omnia
Semina. Verum etiam Plantis idonea: scrobibusq;
Committere omnis generis surculos, qui Quercus summitates vocantur.
Vites autem evitare. Quoniam odit præ omnibus
Icarii Filia torcularia & amaras vites.
Recordata, quanta mala, Dionysii instinctu
Actæi machinati sint, Ebrietate domiti gravi.
Icarium etenim duris Clavis interfecere:
Circumventi donis, choreis insanientis, Bacchi.

❀ ❀ ❀

ΕΡΓΑ ΚΑΙ ΗΜΕΡΑΙ.

POſt Cœleſtia illa, & Suprema: Dei, Naturæ & Mentis propriæ Contemplationes; nulla Propior, &, Sapienti, Dignior Cura eſt; qvam Propriæ, in hac terrena Vita, Suſtentationis, & Τῶν πρὸς τὸ εὖ καὶ ῥᾳδίως ζῆν Ἀναγκαίων Procurationis. Qvandoqvidem enim, Diis ita volentibus, Siderea noſtri, & Cœleſtis, Melior Pars, Anima, cum Corpore noſtro ſemel ita coaluit; ut, ſi vel ipſi Solutionem ultro appetentes, eam promovere qvocunqve modo ſtuderemus; eo ipſo, Naturæ, atqve ita conſtanti & immutabili Providentiæ Conſulto, Manifeſtam Vim inferremus: (Siqvidem, ex ejusdem Προμηθείας Decreto, Anima noſtra in ſuo Deſcenſu, circa Lunaris Sphæræ Confinia, plenum & extremum Corporis Appetentiæ, ſimulqve Oblivionis Cœleſtium, Potum haurit) Nihil Animo Sapienti reliqvum eſt, qvam ut Præſentem Fortunam æqvo animo ferat, &; qvantum Viribus valet, hoc agat; ut Cœleſti illi Sponſæ, in hoc Terreno Tugurio, bene ſit. Ne toties, moleſtis illis & ignobilibus, ſuſtentandi Corporis, Curis, avocetur: aut penitus impediatur; qvo minus ſubinde ad Priſtinæ Sedis Puritatem, per ſvetam ſibi Naturæ κλίμακα, adſpirare: Indeqve, Miſeriæ, profecto, ſuæ Solatia, per Ocium ita, petere valeat. Itaqve Veteres illi Sapientes, Cœleſtium harum Virginum, Mentium Humanarum, ſolertiſſimæ Nutrices; etiam Hac in Parte, Generi Humano proſpexere. Et, qvantumvis ejus, cui ſe ingeſſere, Doctrinæ Objectum, longe infra propriæ Dignitatis Gradum ſubſidere, & Rus potius, aut in ſordidos Agros ableganda omnis ejus ratio videri poſſit; tamen vel propriæ dignitatis Jacturam aliqvam facere maluerunt, qvam qvicqvam a Cura ſua, qvam ſemel ſuſcepere; Plenam Hominibus, qvantum qvidem in hac Vita fieri poteſt, Beatitatem procurandi; remittere. Inde, præter illas ſublimiores, qvibus Mens Humana

mana excolitur, Artes: qvæqve Sapientiam proxime respiciunt & absolvunt: Hanc qvoqve docuerunt, qva Corpori potissimum prospicitur: qvæqve huic Ignobiliori Hominis Parti, Necessaria, & τ̃ Ἐπιτηδείων Πόρον procurat. Qvod, cum commode fieri, sine τῶν Κτημάτων Acqvisitione, non possit; Ipseqve acqvirendi Modus varius sit & multiplex; Eum sibi commendandum & docendum duxere, qvi, ut simplicissimus, ita etiam innocentissimus & sanctissimus esset, plurimumqve cum Cœlestibus commercii haberet: Eum videlicet acqvirendi modum, qvem ipsa Tellus, benignissima Mater, pro exiguo sui Cultu, absqve ullius Injuria, suis cultoribus large omnia proferens & sanctissimo Fœnore refundens; Hominibus monstrat; & tanqvam præsentissimum simul & justissimum, ultro offert: *Agriculturam.* Nam, cum omnis τ̃ Ἐπιτηδείων Possessio, triplici hac Via acqviratur; Vi, Fraude & Justitia: primum, Bello; secundum, Mercaturæ; tertium, Agriculturæ accommodarunt Veteres. Ex qvibus Primum, cum omni sua ratione, Heroibus relinqventes; si qvid tamen Egregii, & ad Justitiæ Normam perpetratum in eo usqvam deprehendere, Poëtarum Carminibus celebrandum id qvidem commisere: Nulla tamen unqvam Artis Belli Gerendi Præcepta, manifeste ita tradidere: Qvia sine insigni Justitiæ, vel detrimento vel periculo, non facile plena ejus Doctrinæ Præcepta tradi aut doceri etiam possint. Secundum etiam Modum, Mercaturam, adeo in homine Probo & Sapiente non probarunt; ut, qvia sine omni penitus Injustitia & Fraude exerceri Mercatura itidem neqveat; tum etiam, cum Peregrinarum Mercium Novitate, novi etiam plerumqve Mores, Luxus, Voluptates, Desidia, &c. invehantur; ipse etiam Hesiodus, qvi, qvantum recordor, solus qvædam de hac, suis Oeconomicis Præceptis admiscuit, non obscure subinde testatus sit, se hunc Acqvirendi Modum, in Fratre Perse, non admodum probare: Vt potius eum ad Tertium hunc Acqvirendi Modum, Agriculturam, qvæ in Ἔργῳ, sive

 Opere

Opere conſiſtit, diſerte revocaverit, illo ſuo: Ἐργάζευ νήπιε Πέρση. Hunc igitur ſolum, διὰ Γεωπονίας, Acqvirendi Modum, admittentes, eumqve ſolum legitimum, & ſaniore homine dignum cenſentes; Præcepta ſua, circa hanc Doctrinam verſantia; in Duas Claſſes, ſeu Ordines diſpeſcuere. In qvarum Prima, *Qvid* & *Qvomodo* agendum, docuere: in Secunda autem; *Qvando* qvidqve agendum; ex Cœli potiſſimum & Naturæ Legibus, præſcripſere. Cui Priori Parti, qvoniam nude ita & ſimpliciter circa Opus verſatur, τῶν Ἔργων Titulum præfixere: Poſteriori vero, qvod ſubtilius & magis accurate Tempus definiat, qvando ſingula τῶν Ἔργων ſuſcipienda & exſeqvenda ſint: τῶν Ἡμερῶν Nomen & Inſcriptionem indidere. In Ἔργοις itaqve, Opus ipſum commendantes, ejusqve Præſtantiam & Juſtitiam commonſtrantes; qvod facit Heſiodus; docuerunt: Qvid circa Terram ipſam, ejusqve varios Bonitatis & Fertilitatis Gradus, obſervandum: Qvid ſingulis iſtis credendum & committendum ſit: Qvomodo tractanda Tellus; Qvibus Inſtrumentis ſingula peragenda; tum præterea, ipſorum Inſtrumentorum Formam, Materiam, Vſum &c. oſtendere. Qvibus nonnulli adjunxere Arborum Curam: varios Propagandi, Transplantandi, Inſerendi Modos: & qvæcunqve ad Γεωπονίας Rationem pertinere videbantur. Non neglecta interim plerisqve, Re Pecuaria, ſeu Προβατευτικῇ Τέχνῃ, & Θρεμματοτροφίῃ; ob eandem ſimplicem & juſtiſſimam τοῦ Πόρου Rationem. In Ἡμέραις autem, Cœli, Siderumqve Motus, Aſtrorumqve & Stellarum Poſitum, Reſpectum, Influentias in hæc Inferiora, & ſi qvæ ſunt alia ejusmodi, accuratius cotemplantes; ſimulqve diuturni temporis Obſervationum Experientiam in auxilium adhibentes; non Magnas qvidem illas, & ſenſibus maxime obviantes, Anni Viciſſitudines; qvibus hoc vel illud Operis ſuſcipiendum ſit, indicarunt; (hoc enim ad generaliorem qvaſi τῶν Ἔργων Tractationem retulere) ſed ſingulorum Menſium, ſingulorumqve adeo Dierum Opus commendarunt: Et,

qvo

qvo Anni Menſe, qvo Menſis Die, hoc vel illud agendum ſit, determinarunt. Præterea, qvos Dies Fauſtos, qvosq; Infauſtos Operi credebant, annotarunt. Vt adeo, ne in ipſius Corporis Cura, & Terrenis hiſce Laboribus occupata Anima, Cœlo penitus exularet: ſed identidem illuc, unde deſcendit, remeans; cum Sibi, tum Corpori ſuo; Salubria & Convenientia inde petat ac reportet. Ab omni interim, qvod alios Acqvirendi Modos comitari plerumqve ſolet, contagio; Avaritiæ, Injuriæ, Ambitionis, Cupiditatis, Luxuriæ, libera & immunis. Vnde apparere arbitror: Ipſa Neceſſitate adductos fuiſſe Primos illos Antiqvos Sapientes, ut hanc Γεωπονίας Doctrinam, ſimul cum reliqvis Sapientiæ Præceptis traderent, Hominesqve docerent. Cum enim omne eorum Studium, omnis Opera eo tenderet, ut Homines, Divinæ ſuæ & Cœleſtis Originis commonefactos, a fera & effreni vita, ad Cultum, Juſtitiam, Societatem, omnemqve adeo Virtutem perducerent: omnis eorum Opera, omne Studium, fruſtra ſane fuiſſet; niſi Juſtam ſimul & convenientem Virtuti, Vitæ ſuſtentandæ Rationem docuiſſent. Cum omnis Virtutis Ratio, in Regimine Affectuum Juſto, conſiſtat: ipſos autem Affectus nihil magis turbidos & efferatos reddat, qvam nimia eorum, qvæ Corpori curando neceſſaria ſunt, vel Affluentia, vel Penuria. Vnde, tam Abundantiam qvam Πενίαν, Vitiorum Matrem, agnovere Sapientes, & proinde Vtramqve vitandam. Mediam igitur Viam inſiſtentes, illam ſuſtentandæ Vitæ Artem docuere, qvæ, dum homini Neceſſaria, ſimpliciſſima & juſtiſſima Via, ſuggerit; Neceſſitatis Leges implet; nec tamen tranſcendit: hominemqve adeo, ad omnium Virtutum Vſum & Exercitium, ſemper & maxime, idoneum conſervat. Qvibus in Hac, non ſecus ac in aliis, melioris Philoſophiæ, tradendis Partibus, cum immortali Nominis & Beneficii ſui Gloria, præivit *Orpheus*: qvem talia docuiſſe ſuos, ferunt. Cujusqve ex Libro Ἔργων, ſeqventes Verſus Initiales citat, *Joh. Tzetzes* in Scholiis ad Heſiodum.

ΕΡΓΑ.

JOH. TZETZES.

Schol. ad Hesiodum.

Εἰ δὲ γεωπονίας σε Φιλαμβρότου ἵμερος αἱρεῖ,
Καί τ' ἐπὶ χρυσείης γενεῆς ἐντύνεαι ἔργα
Γαῖαν ἐπὶ ζείδωρον ἄγων εὐκαμπὲς ἄροτρον,
Ἢ γυροῖς ἔνι κλῆμα μεθυμναίου λελίησαι
Κατθέμεναι, καὶ λαρὸν ὀπώρης εἶδαρ ἑλέσθαι
Ἱμείρῃ, σκαπάνῃ τε λαχῆναι ἄμβροτον αἶαν,
Αὐτίκα δή τοι πᾶσαν ἐτητυμίην καταλέξω,
Ὅππως ἂν πανδῖα σεληναίη πεπίθοιτο.
Ὄμπνιά σοι Δήμητρος, ἐρσινόοιο τε Βάκχου
Δῶρ' ἀναπεμπέμεναι, καὶ ἐπιετανὸν ὄλβον ὀπάζειν.

Quod si te Agriculturæ immortalitatem amantis desiderium capit;
Et Aurei sæculi paras opera,
Terram super frugiferam ducens curvum aratrum;
Aut scrobibus, palmites Bacchi, tibi cura est
Committere; & gratos Auctumni fructus colligere
Haves; ligoneq; fodere immortalem terram;
Promtus tibi omnem veritatem enarrabo.
Vt Pandia Luna persvadeatur,
Alma tibi Cereris, strenuiq; Bacchi
Dona, domum mittere: & annuas opes largiri.

ΗΜΕΡΑΙ.

ΗΜΕΡΑΙ.

JOH. TZETZES.

Schol. ad Hesiodum.

Initium Ἡμερῶν Orphei.

Πάντ᾽ ἐδάης Μουσαῖε θεοφραδές· εἰ δὲ σ᾽ ἀνώγει
Θυμὸς ἐπωνυμίας μήνης κατὰ μοῖραν ἀκοῦσαι,
Ῥεῖά τοι ἐξερέω, σὺ δ᾽ ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν,
Οἵην τάξιν ἔχοντα κυρεῖ· μάλα γὰρ χρέος ἐστὶν
Ἴδμεναι, ὡς αὐτη παρέχει κλέος ἄντυγι μηνός.

Omnia edoctus es, Musae divine, si autem te jubet
Animus, cognomina Lunæ secundum fatum canere,
Facile tibi exponam, tu autem animo reconde tuo.
Qualem ordinem servent. Valde enim utile est
Nosse, uti isthac præbeat nomen decursui Mensis.

IDEM. Opere citato.

Πρῶτον μὲν πρώτῳ ἐνὶ ἤματι φαίνεται Ἄρης.
Μήνη δ᾽ εἰς τ᾽ Ἄρην ἐπιτέλλεται· ἴσχεο δ᾽ ἔργων·
Τὴν γὰρ ἐξανύσασα φύσιν δίκερων ἀναφαίνει.
Αὐτὰρ ἐπὴν τρίτον ἦμαρ ἀπόπροθεν ἠελίοιο
Πᾶσιν ἐπιχθονίοισι φυτοσπόρου αἰπὴ ἀλκῆς.
Τετράδι δ᾽ αὐξομένη πολυφεγγέα λαμπάδα τείνει.

Primum quidem, primo die oritur Mars.
Luna vero una cum Marte oritur. Abstine vero ab Opere.
Ipsam enim Naturam superans, bicornis apparet.
Sed cum tertius dies procul a sole aderit,
Omnibus terrenis vitale robur adspirabit.
Quarto vero die, aucta multum lucentem Lampadem tendit.

IDEM. Opere citato.

Πολλαὶ δ' οὐρανόθεν καὶ ἐπαρτέες ἐκ νεφελάων
Τῆμος ἐπόρνυνται φηγοῖς, καὶ δένδρεσιν ἄλλοις,
Οὔρεσί τε, σκοπέλοις τε, καὶ ἀνθρώποις ἐριθύμοις
Πηγυλίδες, καὶ ἔσονται ἀμοιβέες· αἱ δὲ γὰρ ὄντως
Τρύχουσιν καὶ θῆρας ἐν οὔρεσιν, οὐδέ τις ἀνδρῶν
Προβλώσκειν μεγάρων δύναται κατὰ γυῖα δαμασθείς.
Ψυχεῖ λευγαλέῳ· πάχνη δ' ὑπὸ γυῖα μέμυκε.

Multæ vero cœlitus & subitaneæ ex nubibus
Tunc ingruent fagis, aliisque arboribus,
Montibusque & scopulis, hominibusque animosis
Pruinæ, & per vices redibunt. Hæ autem omnino
Vexant & feras in montibus, & nemo homo
Prodire potest ex ædibus, membris quippe captus
Ob frigus grave. Pruina vero sub pedibus crepat.

ΑΜΝΟΚΟΠΙΑ.

Ostendimus, Præcedenti Capite: qva Necessitate compulsi, Primi isti Generis Humani Doctores; propriam sibi, & sublimem illam suam, sublimiorum Rerum contemplationis Sphæram, deseruerint qvasi, & ad vile Γεωπονίας Ἔργον considerandum ac docendum, sese demiserint. Nempe, qvod pios, & de Salute Filiorum rite sollicitos Parentes facere videmus; non contenti, Animos & Mentes illorum optimis qvibusqve Virtutum & Scientiarum Præceptis informasse: Vt Corpori qvoqve bene sit, eiqve Necessaria in promtu; sollicite curaverunt. Commonstrando, justissimum & simplicissimum, τῶ Ἐπιτηδείων, διὰ Γεωπονίας Parandi, Modum. Cumqve jam nihil, in tota Rerum Natura, extra Hominis Vsum positum deprehendissent; ad Animantia, vaga adhuc; & sæpius Terrorem hominibus incutientia, qvam Commodum præstantia; Mentis aciem deflexere: Et, qvid Inde emolumenti Humano Generi exspectari posset; consideraruut. Inde, cum animadvertissent; aliqva ex His, Fascino illi, a Creatore, Hominum Oculis indito, facilius aliis cedere, & qvasi succumbere: Ideoqve non magno negocio Cicurari posse; Alia autem ferociora esse, qvam ut Humanas Manus facile admittant: Vt Illa Priora, in familiariorem Hominum Vsum allicienda, allecta semel, deinceps Alenda, Tractanda, in Vsum & Commodum redigenda, Augenda deniqve, & Admissionibus commode institutis, per naturalem Propaginem Multiplicanda sint; sedulo docere instituerunt. Reliqva, Fera & Intractabilia, Lustris & Sylvis suis relinqventes: ut Venatu, vel in Voluptatem hominum, Vsum qvendam etiam non nunqvam, vel ad Vires hominum exercendas, inde aliqvando extraherentur.

Ex

Ex qvibus Nova illis Doctrina enata, ad Corporis Humani curationem pertinens: & Alteri illi, Γεωπονίας ἔργῳ, velut altera qvædam Pars, adjungenda: PECVARIÆ REI CVRA. Ex qva, non ſolum immediate, inſignia nonnulla Commoda in Vitam humanam, ratione Victus & Veſtitus, derivarentur; ſed ingens etiam, ad Terræ ipſius Cultum faciliorem, ſubminiſtraretur adjumentum. Qvemadmodum igitur Ratio & Scientia Coloni, in eo verſatur, ut illa, qvæ in Agricultura naſcuntur, e Terra fructum faciant: ita Paſtoris, ut ea, qvæ nata ex Pecore. Vt adeo verum ſit illud Ariſtotelis: ὡς ἡ Νομαδικὴ συνῆπται τῇ Γεωργίᾳ. Qvam Doctrinam, qvam diligenter, qvam ſollicite qvoqve tractaverint & inculcaverint Antiqvi; qvam reverenter item ab iisdem habita & æſtimata olim ea fuerit; teſtantur tot Graviſſimi & Celeberrimi Auctores, Græci, Latini, Arabes etiam, & Hebræi: Qvorum monumenta, partim hodienum exſtant; ut, *Heſiodi*, *Varronis*, *Catonis* nonnulla, *Columellæ*, *Palladii;* Imprimis *Maronis*, & aliorum forte plurium: Partim jam dudum periere: nihilqve præter Titulos & Nomina reliqvere. Qvorum Catalogum qvendam habes, a *Joachimo*, *Joachimi F. Camerario*, Medico qvondam Noribergenſe, conſignatum in Opuſculis ejus, de Re Ruſtica. Dignitatem autem, & Exiſtimationem hujus ipſius Curæ Pecuariæ qvo ſublimiori & fortiori Argumento adſtruere & ſublevare potuerunt ii, qvos hodie ſuperſtites habemus, præſtantiſſimæ hujus Artis Præcones; qvam eo, qvo ex indubio, omnium Hiſtoriarum Teſtimonio docent; Reges olim Regumqve Pueros, Pedo qvondam Sceptris præluſiſſe, & Reipublicæ gerendæ Tyrocinia, in Paſcuis & Saltibus poſuiſſe: nec deinceps, Rebus admotos, Puerilis Artis Nomen, qvo minus Ποιμένες Λαῶν, fauſta & gratiſſima Appellatione ſalutarentur; aſpernatos fuiſſe. Qvin Deos etiam, ſi Fabulis fides, non modo Paſtores in fidem recepiſſe, ſuoqve præſidio tutos & felices præſtitiſſe; ſed Ipſos etiam, Sortis ſuæ nonnunqvam oblitos; frondentes Sylvas,

vas, roſcida Prata, opima Paſcua, Cœlo ſuo & Aſtris prætuliſſe: Mundiq; arduam & gravem, cum Hac amœna & ſalubri Cura commutaſſe? & ſi qvæ ſunt alia, qvæ dignitatem hujus Artis, innocentis & ſimpliciſſimæ, commendare poſſunt, Encomia. Qvæ melius leges apud eos, qvos laudavi, Dignitate, Sapientia, Doctrina, Rerumq; Vſu, jam olim clariſſimos, Rei Pecuariæ, & in univerſum, Ruſticæ, Doctores ſimul & Patronos. Qvos omnes, uti Tempore & Ætate longe antecedit *Orpheus* ille *Lebethrius*; ita nec Dignitate, (Deæ enim Filius, & Rex prædicatur) nec Doctrina, Sapientia, aut Rerum uſu (qvod Doctrinæ ejus, in toto hoc Opere erutæ & recenſitæ, qvæq; omnia fere qvæ ſciri poſſunt, in ſe complectuntur; ſatis adunde confirmant) cuivis eorum qvicqvam concedit. Qvem Hujus qvoq; Artis Præcepta tradidiſſe, poſterisqve commendaſſe, ut credam, adducor; qvod, hic Vir, aut Dæmon, a ſemel ſuſcepto ſibi, ſaluberrimo, humano Generi, Jnſtituto: qvod erat, *Perfectos & omnimoda Felicitate Beatos, ſua illa Opera, reddere mortales;* nihil unqvam remiſiſſe; nec ullum, vel leve etiam, ad Scopum illum attingendum Caput omiſiſſe; etiam ex hactenus examinatis, deprehenditur. Cumq; Priorem hujus, ſive Scientiæ, ſive Curæ, Ruſticæ, partem; *Agriculturam;* ſua cura & beneficio dignam judicaverit: Qvis credat, eum, hanc Alteram, Ποιμενικὴν; qvam inſuper, illa Priore, Antiqviorem agnoverunt Veteres; neglexiſſe? Eum inqvam, de qvo ex tot Fabulis, nulla magis inclaruit; & omnibus paſſim, ad ravim usq;, decantatur; qvam ea: Qvod Primus, ex omni hominum memoria, Animantia & Feras, divino ſuo Cantu, ita permulſerit; ut illa, Luſtris & Speluncis relictis, ſponte in occurſum ejus properaverint, ejusq; nutui & voluntati ſeſe ſubjecerint. Qvod mirandum & ſtupendum, hujus Orphei, cum Feris Animantibus Commercium, adeo *Pythagoræ* percelluit animum; ut & in hac parte, Orpheum ſuum imitari tentaverit; &, ut Artis ſuæ Specimen daret; bona fide aliqvando, cum Bove, Fabas comedente, βοϊστὶ locutus fuerit. Vid. *Jamblich.* pag. 66. Omne vero Dubium, circa hanc Opinio-

nem, eximit *Inſcriptio Libri*, qvi olim *Orphei* nomen prætulit, ab *Svida* annotata? ΑΜΟΚΟΠΙΑ. Qvam depravatam eſſe, nemo non videt. Pro qva, conſtanter affirmo, legendum eſſe, ΑΜΝΟΚΟΠΙΑ. Rara qvidem Vox, nec alibi, forſan, lecta: qvam tamen nemo ſuſpectam habebit, qvi videbit, *Heſychium* Ἀμνοκόποι, interpretari Ποιμένα. Qvod ſi a Δημοκόπος, Δημοκοπία; a Λιθοκόπος, Λιθοκοπία recte dicitur; qvis dubitabit, ab Ἀμνοκόπος, Ἀμνοκοπίαν qvoq; recte dici? Qvi autem apud *Heſychium*, Ἀμνοτόκος pro Ἀμνοκόπος legere voluerunt; Iis, per me, aliud agere licuiſſet. Nec qvemqvam offendet, Generalior hic, hujus Vocis, Vſus. Qvamvis enim Scientia Paſtoralis latiſſime pateat; & non ſolum Minorum Pecudum: Ovium, Caprarum, Suum, Curam includat; verum etiam ex Majoribus Pecoribus, Boves, Aſinos, Eqvos, rite curare doceat; adeo, ut jam *Varro*, LXXXI. diſtincta Capita ejus Scientiæ annotaverit: Interim tamen, Ipſe, Libr. III. cap. 2. agnoſcit: *E feris Pecudibus primum Oves comprehenſas ab hominibus ac manſvefactas fuiſſe.* Non certe in alium primitus Finem, qvam ut evolſa illis aut detonſa Lana, in Veſtimentorum Vſum, Hominibus cederet. Cum Primi iſti Mortales, & Lactis, & cæſorum Animantium, Carnis Eſum, ad huc dum vel ignoraverint, vel, ſi *Porphyrium* audiamus; abominati etiam fuerint. Qvod ſi igitur alias, a potioribus, ſive Objectis, ſive Qvalitatibus, Rebus & Scientiis Nomina impoſita deprehendimus; qvid & hic impediat, qvo minus a Potiori Pecude, Potioriqve ejus Vſu, toti Scientiæ, Nomen dari potuerit; non video. Sit igitur mihi Ἀμνοκοπία hic idem, qvod Latinis ab Eodem Objecto deſumta Vox, *Res*, ſeu *Cura Pecuaria*. Et ab Orpheo Ἔργοις καὶ Ἡμέραις adjuncta & ſubjecta, velut Altera qvædam vitæ Ruſticæ Pars: de *Cura Pecorum*, ſive, *Paſtoralis Scientiæ Tractatio.*

ΠΕΡΙ ΒΟΤΑΝΩΝ.

CUm ex plurimis, hucusqve disputatis, constet: Primos istos Generis Humani Doctores Sapientes, omni suo Studio, Labore ac Doctrina, nihil intendisse aliud, qvam plenam & omnimodam Hominum Salutem; qvæ sese non in Hanc solum, Terrenam Vitam (qvam potius Morti assimilaverant) extenderet; sed & Futuram Alteram Meliorem, post Fata aliqvando superata, concluderet: Necessum omnino erat, omnia accurate antea pervestigasse, qvæ qvovis modo Humanam illam Felicitatem inducendam, aut impedire; aut fundatam jam & inductam, turbare aut alterare valeant. Vt ita, Malorum cognatorum, & impedimentorum, aliunde obviantium, Fontibus qvasi investigatis & detectis; eo certiore Via deinceps ingredi, & Negotium suum eo efficacius peragere & pertractare potuerint. Qvem in finem, cum omnis Feritatis, & scævorum, inter Homines, Morum, vel præcipuam Caussam deprehendissent: *Ignorantiam sui ipsius, propriæqve Nobilitatis:* Id ante omnia egerunt: ut, ostensa hominibus, melioris suæ partis, Animæ, Cœlesti Origine; eos simul convincerent, secundum Illam potius, Meliorem Sui, Partem; cujus omne decus & ornamentum in Virtute consisteret; Vitam Hominibus instituendam esse. Ne autem ab hac, in se, difficili, &, non assvetis, minime amœna, secundum Virtutem vivendi, Via, facile deflecterent; aut ingruentium, extrinsecus, Malorum, & fortuitarum Calamitatum impetu, depellendos sese præberent; Deorum adscito qvasi Præsidio, & Providentiæ Altioris inculcato Ductu & Munimine; continere eos allaborarunt. Simul ostentata ubivis, Alterius Illius, post hanc, Vitæ Felicitate, & Animarum; in originarium suum, Divinitatis, Fontem, per eandem Virtutis Viam, Recursu; & Vitæ

Illius Deſiderium, in Animis perſvaſorum, inflammarunt; & Contemtum omnium harum, obvenientium forte Remorarum, inſpirarunt & produxerunt. Porro, cum Menti ita aut Animæ, ſic ſatis proſpectum eſſe crederent: Alteram autem Partem Hominis; licet ignobiliorem; non tamen omnino negligendam, aut projiciendam eſſe; cum ex Naturæ ipſius ſvaſu & voluntate, qvæ iſtas binas partes tam arcte tam ſancte copulavit: tum ex Turbis illis & Damnis, qvæ in Animam, e Corpore, male habito & neglecto, reſultare ſolent; cernerent: Vt Huic qvoqve Parti, conveniens, & Meliori ſimul condigna, Cura ſua conſtaret; ſimulqve Tumultibus illis periculoſis, Animæqve imprimis extimeſcendis, occurreretur; operam dedere. Commonſtrata mortalibus, Agriculturæ, mitiſſima & innocentiſſima Commoditate. Ex qva, rite inſtituta; qvicqvid Corpus, ad neceſſarium ſibi Victum efflagitare videri poteſt; ſancte, pure, ac abunde, peti & depromi poſſet. Sed cum Corpus noſtrum, non minus Externis, & aliunde paſſim incurſantium Malorum Procellis, Morbis, Vulneribus, Venenis, expoſitum ſit; qvam Animus, Calamitatum & Miſeriarum, Affectus & Qvietem turbantium, Tempeſtatibus: Non utiqve Hoc, etiam in hac parte, deſertum ita, omnive Auxilio aut cura deſtitutum, relinqvere poterant Salutis Humanæ Primi illi fidiſſimi Curatores: Qvo minus ſolliciti fuerint, qva Ratione, qvibusve Mediis, Homines, Corporis ſui, aut ſani & incolumis, præſentem Ευεξίαν conſervare; aut afflicti, Dolores & Moleſtias lenire & depellere qveant. Igitur, poſtqvam deprehendiſſent, Frumenti, Pomorum & Λαχάνων qvorundam, in Eſu adhibitorum, Vires; Corpori ſufficiens Nutrimentum præſtare, & ſuſtentandi illius qvalemcunqve Facultatem in ſe continere; Extrinſecus autem Accidentium, Moleſtias omnes, depellere & profligare minime valere: Nec excitato, per Motum vehementiorem comporis, aut aliis machinamentis, Calore Interno; aut, ſi Vſus poſceret, captato, per qvietem, Frigore; aliisve

talibus

talibus qvæſitis Levaminibus, omnium ſupervenientium Morborum Vim frangi aut averti poſſe: Vnde certiora & tutiora τῶν Νόσων Ἀκέσματα petere poſſent; non inveniebant; qvam ea ipſa Loca, unde omnem Corporis Victum, Nutrimentum, Suſtentationem, jam ante petebant: Agros, Campos, Sylvas. In qvibus innumeras Plantas, Herbas, Flores &c. inveniebant, Colorum omnis generis perfectiſſima, & qvaſi in propriis ſedibus ſuis, luxuriante Pulchritudine, exſplendeſcentes; eoqve ipſo Oculos, miro voluptatis & amœnitatis ſenſu, opplentes; &, ſponte ſua, hominibus arridentes; eorumqve familiariorem uſum procantes: Odoris varietate, & plerumqve vivifica qvadam, ut ita dicam, Svavitate, puriſſimi & vivaciſſimi Ætherei Spiritus efficaciſſimam in iis Præſentiam, Spirituumqve inde Vitalium blandiſſimum qvaſi Fomitem & Excitamentum teſtantes: Saporum rurſus diverſitate, infinitis modis variante, latentium intra ſe Virium & Qvalitatum Efficaciam indicantes & prodentes: Omniqve ita & Tota ſua Natura, Homines ad Vſum ſui invitantes, & qvaſi ſponte in illorum ſinum & amplexum ruentes. Igitur ultro oblata iſta, benigniſſimæ Matris Telluris κειμήλια; qvæ non in id producta eſſe, ut conculcarentur, aut ſine fructu areſcerent, aliunde facile colligere poterant; ſtudioſe ſectari; oblata aut inventa, ex Coloris, Odoris, Saporis &c. indiciis, ſolerti στοχασμῷ, dijudicare; captatis Experementis, Judicii ſui Veritatem examinare; Ipſa porro, ſuis, & peculiaribus Nominibus ſignare; Nocentium malignas Fraudes annotare; Vſum deniqve Omnem illorum Poſteros docere inſtituerunt. Qvæ prima & ſimpliciſſima Medendi Ratio, cum Antiqvorum caſta & ſincera Frugalitate unice conſpirans, Diu admodum inter homines valuit: Donec tandem, ingraveſcente Luxu, Gulæ Erethiſmatis, Culinas opplentibus, Morborum qvoqve Vi & Numero inde augeſcentibus; illud μιστυλλόν τ' ἄρα τ' ἄλλα, e Culina, in Medicorum Officinas tranſiit. Interim, non, niſi ab illa prima & ſimplici Medendi

Ratio-

Ratione, Dei Apollinis, præcipuum Beneficium: Æſculapii Divinitas: Chironis Gloria: ſed & Medeæ Infamia, repetita ſunt. Nec aliud intendebant *Lini*, Καρπῶν Γενέσεις, & *Orphei* Περὶ Βοτάνων, aut Περὶ Φυτῶν Poëma. Etiam a *Plinio*, Lib. XXV. c. II. laudatum, His Verbis: *Primus omnium, qvos memoria novit, Orpheus, de Herbis curioſius aliqva prodidit.* Et ex qvo, niſi fallor, etiam ea, qvæ Lib. XX. c. V. dicit: *Orpheus amatorium ineſſe Staphylino dixit &c.* Sed an ea, qvæ alibi idem *Plinius* ex *Orpheo* docet: verbi gratia, Lib. XXVIII. c. IV. *Sagittas corpore eductas, ſi terram non attigerint, ſubjectas cubantibus, amatorium eſſe, Orpheus & Archelaus ſcribunt.* Item: *Sangvine ipſius hominis, ex qvacunqve parte emiſſo, efficaciſſime anginam illini, tradunt Orpheus & Archelaus: item ora, comitiali morbo lapſorum; exſurgere enim protinus:* ne dicam ex eodem Poëmate deſumta, ſaltem ejusdem Auctoris fuerint; non facile dixerim. Cum & *Plinius*, in Jndice Auctorum externorum: In qvo perſeqvitur; e qvibus deſumſerit ea, qvæ Lib. XXVIII. tradit: *Orphei* aliud Opus laudet, cujus Titulus ibi legitur *Diophios*: Et hæc adducta, nimis longe petita, & Superſtitionem redolentia, Primæ illi Simplicitati minime convenire videantur. Legatur interim, per me, in Jndice illo Pliniano: pro, *Orpheo qvi Diophios, Archelao qvi item.* Vt vult Reineſius: *Orpheo qvi* Ἰδιοφυεῖς, *Archelao qvi item.* Et credat, qvi vult, talem Librum ſub *Orphei* Nomine olim exſtitiſſe; cujus Titulus fuiſſet ΙΔΙΟΦΥΗ. Et Argumentum: *De Rebus Singularis Naturæ & Poteſtatis*, vel, *De Singularibus & Miris qvorundam Naturis & Poteſtatibus.* Qvalia hunc ipſum *Archelaum*, qvem *Plinius*, hic Orpheo jungit, ſcripſiſſe; *Diogenes Laërtius* teſtatur. Sed & in eandem, Scriptorum Orphicorum, Claſſem, refero Poëma, ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΣΥΝΘΕΤΩΝ ΘΑΝΑΣΙΜΩΝ, *De compoſitis Venenis*, ſub *Orphei* nomine olim celebratum: & *Galeno*, Lib. II. περὶ Ἀντιδότων memoratum. Qvo loco *Galenus* illum Librum,

brum, & *Orphei Theologi* Nomen prætulisse, & *Carmine* conscriptum fuisse; tum etiam *Modum*, *conficiendi ejusmodi Venena*, docuisse; diserte confirmat. Non sine adjuncta gravi Censura in eos Scriptores, qvi, Dum de talibus disserunt; &, ut illis obviam eundum sit, docere conantur; simul, ipsa illa Venena parandi Artem, incauti inferciunt: & hoc ipso, malitiosis ansam præbent, ea plene addiscendi; qvæ hactenus non nisi ex parte noverant. Sed audiamus ipsum Galenum:

Καὶ περὶ μὲν τῶν ἁπλῶν θανασίμων, ἐπὶ τοσοῦτόν τι εἰρήσθω. περὶ δὲ τῶν συνθέτων λεχθήσεται· ἐκτίθεσθαι δὲ τὰς τούτων σκευασίας, μοχθηρὸν μοι δοκεῖ. καίπερ πολλῶν ἐπιχειρησάντων ταῖς τοιούτων συγγραφαῖς. ὧν ἐστὶν Ὀρφεὺς, ὁ ἐπικληθεὶς Θεολόγος· καὶ Ὦρος ὁ Μενδήσιος, ὁ νεώτερος· καὶ Ἡλιόδωρος ὁ Ἀθηναῖος, τραγῳδιῶν ποιητὴς· καὶ Κράτος· καὶ ἄλλοι τινὲς, τῶν τοιούτων συγγραφεῖς· τούτους μὲν οὖν ἄν τις θαυμάσειεν, ἐμμέτρως ἐπιχειρήσαντας ταῖς περὶ τούτων πραγματείαις. μέμψαιτο δ᾽ ἂν εὐλόγως διὰ τὰ πράγματα· διδάσκειν γὰρ μᾶλλον ἐστὶ, καὶ προτρέπειν τοὺς βουλομένους ἐπὶ κακῷ, τῷ πλησίον ἐπιχειρεῖν ταῖς τούτων σκευασίαις· οἱ γοῦν τῶν καλῶν τούτων ποιημάτων συγγραφεῖς, τὴν παρὰ τοῖς πολλοῖς εὐλαβούμενοι καταδρομὴν, ἐναρχόμενοι τῆς τούτων παραδόσεως, τοὺς ἐντευξομένους πείθειν ἐπιχειροῦσιν, ὡς οὐκ ἂν εἶεν φαῦλοι τὸ ἦθος, οὐδὲ τῶν τοιούτων φθοροποιῶν διδάσκαλοι· ὥσπερ καὶ Ἡλιόδωρον, ἐν τοῖς πρὸς Νικόμαχον ἀπολυτικοῖς, ἐναρχόμενον ἐστὶν εὑρεῖν, οὕτω γράφοντα.

Οὐ μα τὸν ἐν Τρίκκῃ πρηὺν θεὸν, οὔμα τὸν ὑψοῦ
Ἥλιον, ἀείροντα θεοῖς φαεσίμβροτον αἴγλην·
Οὐ μα θεῶν σκηπτοῦχον, ὑπερμενέα κρονίωνα·
Οὔ τι μέ τις δώροισι παρήγαγεν· οὐδ᾽ ὑπ᾽ ἀνάγκης
Οὔτι χάριν φιλίης, ἑτέρῳ κακὰ νεῖμαι ὑπέστην.
Ἀλλ᾽ ὁσίας μὲν χεῖρας εἰς ἠέρα λαμπρὸν ἀείρω
Καὶ κακίης ἀμόλυντον ἔχω κατὰ πάντα λογισμόν.

Ex

Ἐκ τῶν λεγομένων, πείθειν ἐπιχειροῦσι τοὺς ἐντυξομένους ταῖς τοιαύταις πραγματείαις, τὴν παρὰ τοῖς πολλοῖς καταδρομὴν εὐλαβούμενοι. ἀλλ' οὐδέ ἐστιν εἰπεῖν, ὅτι διὰ τοῦτο χρὴ τὰς τῶν τοιούτων θανασίμων φαρμάκων σκευασίας εἰδέναι, πρὸς εὐχερῆ εὕρεσιν τοῦ βοηθῆναι τοῖς δυναμένοις· τοῦτο γάρ ἐστι ψεῦδος· ὁ γὰρ δυνάμενος τοῖς ὑπὸ τῶν ἁπλῶν θανασίμων βλαπτομένοις βοηθεῖν· ἕκαστον τῶν κατὰ μέρος ἐπὶ συμβαινόντων ἐπιπλεύων· οὗτος ἂν εἴη ἄριστος προστάτης, καὶ τῶν συνθέτων βλαπτομένων, εὐμηχάνως ἐκλαμβάνων ἕκαστον τῶν κατὰ τὴν τῶν συμπτωμάτων ἐπιπλοκὴν ἐξεχόντων. Qvem Locum, in Editione *Aldina* varie depravatum, ita legendum eſſe cenſeo.

ΕΙΣ

ΕΙΣ ΑιΔΟΥ ΚΑΤΑΒΑΣΙΣ.

Animas noſtras cum Corporibus non interire, ſed poſt hanc, aliam illis Vitam deſtinatam eſſe; Vetuſtiſſimorum qvorumvis, inter Homines, Sapientum conſtans Traditio fuit. Docuit hoc Zoroaſter; docuerunt Chaldæi, Aſſyrii, Perſæ, Indi, Ægyptii, Hebræorum Eſſei, &c. Sed nec inter Græcos, ſaniores Philoſophi, Pythagoras, Plato, Alii, aliter docuerunt. De *Orpheo* certe, res adeo extra omne dubium verſatur; ut omnem ejus Doctrinam, omnem ejus Vitam & Diſciplinam unice eo directam fuiſſe credere poſſis; ut & Voce & Ceremoniis & propriæ Vitæ Exemplo, Hominibus perſvaderet, hanc, in Terris, Hominum Vitam, non eſſe Veram Vitam; ſed Illam, poſt ſolutionem aliqvando Animæ a Corpore, demum ſecuturam & exſpectandam. Qvæ de Origine Cœleſti Animarum, in Sacris Cereris, tradidit: Qvæ de Natura & Eſſentia Animarum, in Cratere utroqve diſputavit: Qvæ de Initiorum, Orgiorum, Myſteriorum Fructu, per Ritus & Ceremonias paſſim indicavit: Ea omnia huc collimare, nemo non deprehendet; qvi, qvæ de his in Superioribus diſputavimus, ad animum revocare dignatus fuerit. Sed præter hæc, & alia ſuppetunt, tam Vitæ, qvam Doctrinæ Orphicæ λείψανα illuſtria, qvæ demonſtrent, Orpheum non aliter de Vita Animarum poſt Mortem, ſenſiſſe. Corpus, Carceri qvod aſſimilaverit; nec tamen inde Animam educendam ante, qvam Deo & Naturæ placuerit; Alioqvi Animam beatitate & libertate ſua fraudari, nec Corpus eam relinqvere poſſe penitus, ſed circa illud varie vagari & torqveri, dum docuit: Nonne eo ipſo, manifeſto ſatis probavit, Animas cum Corpore neqvaqvam interire? Qva de Re videri poſſunt, qvæ *Marſilius Ficinus* egregie diſputat, ex *Orphei* noſtri mente, in Argumento ad Librum IX.

Plotini. Ab Animalium Eſu, & cruenta omni Mactatione illorum, qvod tam ſollicite abſtinuerit; teſtibus, *Plutarcho*, Sympoſiac. p. m. 159. & *Platone*, Libro III. de Legibus: adeo, ut & in Sacrificiis Deorum, Victimarum loco, Suffitiones commendaverit? qvod *Plinius*, Lib. XXV. cap. II. diſerte teſtatur, & Hymni ejus, hodienum ſuperſtites, facile perſvadere poſſunt: (confer, *Marſil. Ficinum*, ad Plotini Lib. IV. Ennead. IV. cap. XXXVIII.) qvid aliud evitare hoc ipſo qvæſivit; qvam, ne in Brutorum qvoqve Animas, & illas Corporibus ſuis ſuperſtites; ullo modo injurius eſſet, eoqve ipſo, Suæ qvoqve Animæ Labem qvandam affricaret & inureret? (Confer, *Porphyrium*, Lib. II. Περὶ Ἀποχῆς.) Laneas Veſtes, qvod a Sacris longiſſime arcuerit, & neminem Probum in tali humandum permiſerit; Qvod de eo teſtatur *Herodotus*, Lib. II. Non aliter, hactenus qvidem, intelligo, qvam qvod non voluerit, ut ullum, vel crudelitatis, vel injuriæ, erga Animata, Signum aut Monumentum, in nobis, vel viventibus vel etiam mortuis, Diis obverſaretur. Frugalis deniqve, Innocens, Pura, Caſta, ac Sancta Vita, qvam & Ipſe ſectatus eſt, & Suis nunqvam non commendavit & inculcavit; adeo, ut *Orphica Vita*, pro Optima & Sanctiſſima, etiam in Proverbium abierit; (vid. *Plato*. L. VI. de Legibus.) qvid aliud fuit; qvam Perpetuæ Commendationis Mortis, & Melioris Vitæ Exſpectationis vivum & ſpirans Exemplum? Qvam etiam Meliorem Vitam, Diſcipulos ejus, ex ſuſceptis, qvæ conferebant, Initiis Orphicis, unice promiſiſſe iis, qvi Sacra iſta ſuſciperent; vel indignum illud *Leotychidæ*, Ariſtonis F. in Sacerdotem qvendam Orphicum jactatum Scomma, evincit; qvod *Plutarchi* verbis, ex Apophthegm. Laconic. referam. Πρὸς Φίλιππον, τὸν Ὀρφεοτελεστὴν, παντελῶς πτωχὸν ὄντα, λέγοντα δ', ὅτι παρ' αὐτῷ μυηθέντες, μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν εὐδαιμονοῦσι; Τί οὖν, ὦ ἀνόητε, εἶπεν Λεωτυχίδας, οὐ τὴν ταχίστην ἀποθνήσκεις, ἵνα ἀναπαύσῃ κακοδαιμονίαν τε καὶ πενίαν κλαίων; Jam vero, illæ *Expiationes*, illi Καθαρμοὶ, illæ Τελεταὶ Animarum, pluribus

pluribus modis ab *Orpheo* inſtitutæ & introductæ, non tantum per memorata & expoſita hactenus, tot Sacra, Majora, Minora; ſed & per Aqvam, per Ignem, per Carmina: Illæ etiam Preces, illa Sacrificia, illa Carmina, qvibus Defunctorum qvoqve Animas purgari docuit: qvorum Mentio fit, apud *Platonem* Lib. II. de Republ. Illæ, ὙΠΕΡ ΤΩΝ ἈΠΟΘΑΝΟΝΤΩΝ ΜΕΛΩΙΔΙΑΙ, qvas prædicat *Apollonius Tyaneus* apud *Philoſtratum*, in ejus Vita: Qvid aliud docent, qvid aliud clamant; qvam *Orpheum* nihil magis commendaſſe & inculcaſſe ſuis, ac hoc; Aliam poſt hanc, Animæ Vitam, retro eſſe. Meliorem qvidem iis, qvi hic ſe dignos, illa tali, Virtute & Sapientia, reddiderint; Deteriorem autem & Infeliciorem illis, qvi ſpreta & abjecta Virtutum Via, Animæ Cultum præ Corporis Cura projecerint & conculcaverint. Qvod qvidem diſerte de eo teſtatur *Diodorus Siculus*. Lib. I. Biblioth. Orpheumqve Primum, τὰς τῶν Ἀσεβῶν ἐν Ἅιδου τιμωρίας, καὶ τοὺς τῶν Εὐσεβῶν Λειμῶνας in Græciam invexiſſe, ibidem docet.

Qvalem autem Statum Vtrorumqve, tam Piorum, qvam Impiorum, poſt Fata, *Orpheus*, Græcis ſuis, tum temporis, pro captu eorum, depinxerit: forraſſis clarius nobis pateret, ſi Liber, ſub Nomine ejus olim lectus; ΕΙΣ ἍΙΔΟΥ ΚΑΤΑΒΑΣΙΣ, Cujus verum Auctorem, *Epigenes; Cercopem Pythagoræum*: *Clemens; Prodicum Samium*: Alii, apud *Svidam; Herodicum Perinthium*, fuiſſe volunt: hodienum exſtaret. Certe enim, non nudam Fabulam, alias, vel Pueris notiſſimam, de Orphei deſcenſu ad Inferos, ut inde Eurydicen ſuam repeteret, jejune ita inibi expoſitam fuiſſe; vel inde concludo: Qvod ex omnibus, huc usqve expoſitis & allegatis, Librorum Orphicorum Inſcriptionibus & Argumentis, nullus Liber compareat, qvi non Præcipuum qvoddam & Excellens, altioris & profundioris Sapientiæ Caput tractaverit: Tum etiam, qvod hic ipſe Liber, jam ab Antiqviſſimis Temporibus, ab iis, qvi Orpheum nihil ſcripto conſignatum poſteris reliqviſſe, forte perſvaſi

 erant;

erant; non niſi ſummis & celeberrimis qvondam Viris Philoſophis adjudicatus fuerit. Vnde facile colligi poteſt, non levius Argumentum, aut leviori Modo tractatum, in hoc qvoqve Libro comparuiſſe, ac in aliis, ſub tanto Nomine olim lectis & citatis. Qvamobrem nullus dubito, Omnem de Inferis Doctrinam, qvam Orpheus qvondam Græcis ſuis tradiderat; ſub Allegorico iſto Deſcenſu ejus ad Inferos, in hocce Libro contentam & figurate edoctam fuiſſe. Qvod ſi tamen ex eorum Scriptis, qvi Orpheum in hac Doctrina ſeqvi videntur; aliqva Veſtigia Orphica conqvirere fas eſt: Qvid de Animarum illo, in Plutonis Regno, perpetuo, ſive Exilio, ſive Εὐωχίᾳ, ſenſerit Orpheus; ex *Platone* potiſſimum ſtatuendum judico: Et qvidem ex eo Dialogo, ubi expreſſam *Orphei* noſtri, honorificam Mentionem facit; *Cratylo*. Ibi Socrates cum Hermogene, de Nominum Proprietatibus & Naturis diſputans; inter alia qvoqve inqvirit: Vnde Inferorum Præſes, Πλούτων, alias Ἅιδης dictus, has Appellationes inter Homines traxerit? Cumqve prius iſtud Nomen ab Hominibus minime pro infauſto haberi indicaſſet, qvod ab ea Re derivetur, qvam pauciſſimi homines non ſummopere ſibi exoptant, nempe τοῦ πλούτου: Vt adeo Πλούτων appellatus ſit, κατὰ τὴν τοῦ Πλούτου δόσιν: Mirari ſe ait, cur alteram, ejusdem Numinis, Appellationem, τοῦ Ἅιδου, tantopere abominentur pleriqve, & potius ἀπὸ τοῦ Ἀειδοῦς, (*triſte, tenebroſumqve*) derivari velint; qvam vel ab Ἀνδάνω, vel ἀπὸ τοῦ Εἰδέναι. Cum ſibi perſvaſum ſit; Animas, a Corporeis Vinculis ſolutas, in hujus Dei Regno, non Invitas & Reluctantes detineri; ſed potius cum ſumma Voluptate, Sponte ſua, circa Deum hunçce verſari: utpote qvæ, corporis impedimentis nunc liberæ, hujusqve Numinis Ope inde liberatæ; libere qvoqve & absqve ullo impedimento, Omnia Scire deinceps, qvæ ſumma & propria Animarum Voluptas eſt, poſſint. Qvod, ut oſtendat; hanc Viam ingreditur: Supponit; Arctiſſimo & firmiſſimo Vinculo Animas, in illo Plutonis Regno, neceſſario

Digitized by Google

rio detineri, & a Deo ipſo vinciri: Alioqvi fieri non poſſe, qvin plurimi qvotidie τὸν Ἅιδην ſubterfugerent. Cumqve hoc ei Hermogenes conceſſiſſet: qværit ex eo, Vtrum horum validius vinculum ſit, ad qvodvis animal alicubi detinendum; Neceſſitas ne, an Cupiditas? Re ipſa coactus Hermogenes, reſpondet; Cupiditatem longe præſtare Neceſſitati. Vrget Socrates: cum multæ & variæ ſint Cupiditates, ex qvibus aliæ fortius afficiant Animum qvam reliqvæ; utiqve conſentaneum eſſe, fortiſſima, ex omnibus, Cupiditate necti & vinciri Inferos a Plutone ſuo. Neqve hoc negante Hermogene; infert deniqve; Cum nulla vehementior Cupiditas ſit, qvam ea, qva qvisqve afficitur, dum alicujus conſvetudine Meliorem ſe Virum ſperat evadere; Neceſſario eadem tali cupiditate, Inferos, ſuo Plutoni adhærere. Et tandem concludit: *Hac de Cauſſa dicendum eſt, Hermogenes! neminem Huc, Illinc velle reverti, neqve etiam Syrenes ipſas. Imo & ipſas, & cæteras omnes Animas, ſvaviſſimis Plutonis Orationibus demulceri, qvaſiqve devinciri. Eſtqve; ut Ratio iſta teſtatur; Deus iſte, procul dubio, Sophiſta diſertiſſimus & ingentia confert his, qvi penes ipſum habitant, Beneficia: qvi uſqve adeo Divitiis abundat affatim, ut tanta nobis bona ſuppeditet, unde & Pluto eſt nuncupatus. An non Philoſophi tibi videtur officium, Viriqve ſumma Prudentia & Conſilio præditi; qvod nolit hominibus, Corpora habentibus, adhærere; ſed nunc demum admittat eos, cum Animus illorum eſt corporeis omnibus Malis Cupidinibusqve purgatus? Excogitavit nempe hic Deus; hac Ratione, ſe Animos maxime detenturum, ſi Virtutis eos Aviditate vinciret. Eos autem, qvi Stupore & Inſania Corporis ſunt infecti, ne Pater qvidem Plutonis, Saturnus ipſe, ſuis illis Vinculis, coërcere valet, ſecumqve tenere.* Vt adeo hic *Pluto* Socraticus, vere ſignificet *Providentiam Divinam, ad ſeparatas Animas pertinentem*: qvæ Puras Animas, Bonorum ſuorum perpetuis Illecebris, adeo

Digitized by Google

rapit & detinet; ut nolint ad nos ultra reverti: qvippe arctiſſimo & indiſſolubili Vinculo, Amatorio, detentæ. Vnde *Boëthius*, ex Mente *Plotini*, probat: Deum ad ſe ipſum omnia potentiſſime ſimul & ſvaviſſime rapere: Sui videlicet Amore Boni, qvaſi Eſca trahentem. Et hæc qvidem Socrates, apud Platonem: aut potius, Plato, ut arbitror, ex propria, & *Orphei* noſtri, Mente. Etenim, qvid potius docet Fabula illa decantatiſſima, περὶ τῆς τοῦ Ὀρφέως εἰς ᾅδου καταβάσεως? ORPHEVS, vehementiſſimæ, inter mortales, Cupiditatis, Amoris inexhauſti, ſtimulis actus; ne ipſa qvidem Infernalis Barathri Clauſtra, trifaucemqve Cerberum, & oberrantes ſedibus Erinnyas reformidans; immitis Tartari Regna; Carcerem, unde negant redire qvenqvam; adire audet: Iter tenebricoſum, Stygiamq; Paludem, vel ſummo Jovi extimeſcendam, trajiciens. & hoc Solus, ſine Comite: Qvod ante eum nemo, neq; Deorum neq; Mortalium, unqvam auſus eſt. Sua qvidem confiſus Cithara; ſed incerta Spe, an Laboris ſui & Audaciæ tantæ Præmium, cui inhiaverat, impetrare & reducere inde poſſit: Eurydicen qvippe ſuam: in hac Vita, qvo arctius dici nihil poteſt, *Tori Conſortem:* Repentino, & ſubitaneo Fato, inter media Affectus & Amoris mutui Incendia, Serpentis Morſu, ſibi ereptam. Intendit, ſub adventum, Lyræ ſuæ non minus, qvam Artis & Sapientiæ omnes Nervos: ſi qva flectere & exorare poſſit, truces & immites iſtos Deos; ut ſuum ſibi, tam miſere deperditum, tam anxie petitum Pignus, bona cum pace redderent. Flectit: &, tandem Mortis, ait, Vincimur, Arbiter: atq; ad Eurydicen converſus: Evade ad Superos, ait. Illa, nec vocem emittit ullam, nec ullum, mutui priſtini Affectus, ne dum Amoris, Signum, largitur. Seqvitur juſſa, ut In vitam ſeqvi judicare poſſis: Fortiori qvippe Vinculo jam impedita, reluctans. Sed & Iter cum Orpheo ingreſſam, Deflent Eurydicen Threïciæ Nurus; Deflent & lachrimis difficiles Dei: Et, qui fronte, nimis crimina tetrica, Qværunt; ac veteres excutiunt Reos; Flentes Eurydicen Juridici ſedent. Deflent autem, tanqvam ex feliciſſimo Statu, in infeliciorem longe,

pro-

properantem & pergentem. Illa pergit, & ſeqviturOrpheum mœrens: Mundanæ, ſcilicet, repetendæ vitæ moleſtiarum pertæſa, easqve reformidans. Orpheus interim, Cantum ſuum, cumSapientia, paululum remittens; & vel tantillum, Seqviore Affectu, ad illam reſpiciens; contra Regis præceptum: Momento citius eam ex oculis Amittit: Ad puram ſuam & genuinam, ſibiq; unice adamatam, ſcilicet, Voluptatem, εἰς Ἅιδην; non, niſi cum ſummo gaudio, ut probabile eſt; jam jam relapſam. Triſtis igitur, & omni Spe atq; Solatio, recuperandi unqvam ſuam Eurydicen, deſtitutus, Tænarum egreditur Orpheus; ſibiqve imposterum, & Muſis ſuis cantat.

Non credo, qvemqvam tam obtuſi Senſus fore, qvi non, vel ex rudi hoc, Orphicæ Fabulæ Argumento, perſpicere poſſit: Eadem Orpheum, cum Socrate, & Platone, aut potius, Hos, cum Illo, ſenſiſſe. Nempe: Animas Piorum, Proborum & Sapientum, in hac Vita, tantum abeſſe, ut Mortem extimeſcendam, aut ſaltem reformidandam habeant; ut potius, tunc demum, poſt redditum ſcilicet Naturæ Debitum, & poſtqvam in priſtinæ ſuæ ſedis, Cœli Plutonis, immenſi, Palatium redierint; ſolidam, veram, & vividam, ut ita dicam, & vitalem Vitam, i.e. omni gaudio, omni beatitate plenam & refertam, ſeſe victuras eaq; fruituras certo certius ſperare poſſint. Cum Ipſe ille Ἀΐδης, qvem pravi, ſceleſti, & indocti, tantopere, σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσι, reformidare non immerito ſolent; Ipſis nihil aliud, qvam propriæ Qvietis, Gaudii, Amoris & Beatitatis Centrum ac Terminus futurus ſit. Qvo adepto, nihil, niſi Deum, ſuæ Originis Auctorem, Parentem, Benefactorem, amaturi, deſideraturi, amplexuri; eoqve tandem plene ac plane fruituri ſint. Et hoc per ſuos Λειμῶνας, hoc per ſua Convivia, qvibus ii, qvi hac in Vita, Virtuti & Honeſtati unice operam dederint, perpetuo apud Inferos fruituri ſint; Vulgo qvidem promittebat Orpheus. Qvod tamen Ei, falſe, ſed profecto imperite, neſcio qvis, apud Platonem, exprobrat, Libro II. de Republica, his verbis: Μουσαῖος δὲ τούτων νεανικώτερα τἀγαθὰ καὶ ὁ Υἱὸς αὐτοῦ παρὰ θεῶν διδόασι

τοῖς

τοῖς δικαίοις· εἰς ἄδου γὰρ ἀγαγόντες τῷ λόγῳ, καὶ κατακλίναντες, καὶ συμπόσιον τῶν ὁσίων κατασκευάσαντες, ἐστεφανωμένους ποιοῦσι τὸν ἅπαντα χρόνον ἤδη διάγειν μεθύοντας· ἡγησάμενοι, κάλλιστον ἀρετῆς μισθὸν, μέθυν αἰώνιον. Qvæ qvidem poſtrema, manifeſtam Calumniam continent. Non enim Αἰώνιον Μέθυν, ſed Αἰώνιον Εὐωχίαν, exſpectare *Orpheus* jubebat eos, qvi hic, Juſtitia, Temperantia, uno verbo, Virtute, dignos ſe tali aliqvando beatitate, reddituri ſint. Qvam Εὐωχίαν, veram, plenam, &, ut ita dicam, Mentalem; cum rude tum & barbarum adhuc dum Græcorum Vulgus capere, aut ſibi imaginari nondum ita, ut par erat, qviverat; tantiſper, rudiora qvodammodo, his talibus, & ſimpliciora; pro Captu ſcilicet eorum, & præſenti Appetitui aliqvo modo reſpondentia, Virtutis Prœmia, & ad illam Incitamenta propoſuit Orpheus: Vt, vel his, vel aliis qvibusvis, ad Virtutem Illecebris, illecti; modo, ad illam, tandem, ſeſe componant: Sponte deinde, ex Virtutis ipſius Vſu, percepturi & experturi: non hunc, verum Virtutis Finem eſſe, ſed hoc longe meliorem, ſublimiorem, excellentiorem, in ſola, ſcilicet, Mentis & Animæ Εὐωχίᾳ, conſiſtentem, reſtare. Qvi verus Finis, ſemel deinceps intellectus, aut ſaltem prævíſus; novo Excitamento iis eſſe poſſit, in ipſo etiam Virtutum arduo Itinere, gradum duplicandi, & ad ſumma & ſuprema tandem, enitendi. Qvod ſummum & ſupremum Virtutis Prœmium, ille, apud Platonem, calumniator, non ſane propria experientia, ſed præceptorum ſuorum, Philoſophorum, poſt tot demum ſecula poſt Orpheum enatorum, cum omnia jam venalia eſſent, Diſputationibus edoctus; per ſummam iniqvitatem, Auctori eripere; in ejusqve locum, aliam, & huic directe contrariam, Orpheo ſententiam, ſupponere conatur. De Pœnis autem, ſive Τιμωρίαις, aliisqve Calamitatibus, qvibus Orpheus, Impios, Irreligioſos, Indoctos, apud Inferos objecit; cum ex Fabularum Poëticarum, ab Orpheo, ut ajunt, profectarum, narrationibus, eadem omnibus notiſſima ſint; heic plura accumulare, nihil attinet.

ΤΡΙΑΓΜΟΙ.

QVi primus Mortales Numerorum Vſum docuit, næ is immortali Beneficio, univerſum Genus Humanum, ſibi obſtrinxit. Eſto, Naturam ipſam, dum ex Monade, ut plurimum, Infinita paulatim producit; iis viciſſim detrahit, auget, minuit &c. & infinitis modis, Numeros in proprium qvaſi Luſum adhibet; Præceptorem qvodammodo Hominum in his agere, & ſponte ſua, Eorum Animos, ad Numerorum Abſtractam Contemplationem invitare & allicere: Sane, qvi Primus huic ductui ita attendit; ut Ipſe etiam deinceps Naturam non ſolum imitatus Mente fuerit; ſed his ipſis Numeris, veluti Gradibus qvibusdam, uſus; ipſam Naturæ editiſſimam Arcem conſcendere, ibiqve ſingula ejus Arcana, curioſus Explorator, perreptare & perſcrutari auſus fuerit: indeqve deinceps, multiplicia, & plerumqve ſtupenda, in Artes Commoda derivare didicerit: Nonne Is, Cœlo qvaſi demiſſus, Novus qvidam Generis Humani Doctor aut Dæmon haberi potuit? Non hic per ſingulas Artes ire, in iisqve neceſſarium Numerorum Vſum, curioſa λεπτολογίᾳ, demonſtrare, & ita in re manifeſta, ἀραχνείους μίτους nectere, animus eſt: cum vel ſola Claſſis Artium Ea, qvæ a *Studio* proprium ſibi Nomen fecit; magnam probationis partem hujus aſſerti abſolvere valeat. Iſtud hoc loco innuiſſe ſuffecerit; qvam commode, qvam ſcite, nonnulli ex Antiqvis Naturæ Myſtis, His Numerorum Præſtigiis, ad tegenda & occultanda Scientiarum Arcana; ne promiſcuo ita Vulgi Ludibrio exponerentur; uſi fuerint: Et qvam feliciter illis hoc Commentum ceſſerit. Alibi diſputavimus: ut Nemo, jam a primis Sapientiæ Initiis, auſus fuerit, qvicqvam de Ea, qvovis modo, tradere; niſi obſervata, aut inventa etiam, occultiore qvadam Via: qva, in perficiendo Opere, Velato qvaſi, ut in Sacris, Capite, incederet. Inde Ænigmata, Fabulas,

Carmina, Figuras, Logicas etiam ſubtilitates, breves & conciſas Sententiolas, qvin Ritus, Ceremonias, Symbola, Sacra, Myſteria, accerſiviſſe eos, in eundem Finem, docuimus. Sed profecto, omnia hæc, ſive Tegumenta, ſive περιζώματα, tam ſpiſſa, tam apta eſſe non potuerunt; ut non ſubinde attentiores nonnulli, ſagaci Mentis Solertia, eo ſeſe inſinuaverint, &, ſi non plenam ubiqve & omnimodam, ſaltem aliqvam, eamqve pretioſam interdum ſatis, Arcanorum Cognitionem inibi ſubfurati fuerint, ſecumqve inde retulerint. Nullum Ænigma tam implicatum, tam convolutum & contortum ad huc repertum eſt, qvod non Oedipum ſuum invenerit. Fabularum tegmina, jam dudum, apertius Philoſophantium turba, Sapientiæ detraxit; nec deſunt hodie, qvi Lacinias colligere laborant. Ad Carminum Ludibria, olim ſeverioris attentionis Mentes, aures occludere didicerunt. Logicas Subtilitates, ipſa Ars, qva nulla latius in Vulgus ſparſa, comprehendere & perceptibiles reddere docet. Symbola etiam & Ceremoniæ, & alia hujusmodi, præſentem & attentam iis Mentem, facile in Adyta, Porrecta qvaſi Manu, deducunt. Soli illi, qvi *Numerorum* Velo Sapientiam obnupſere, caſtam ſibi & intactam ſuam Sponſam a curioſorum libidine, Illorum ope, ſervavere. Inde *Pythagoræ* (qvi primus in interiore Thalamo, ſuam Sapientiam, hoc Numerorum Velamine veſtiviſſe perhibetur) Arcana, in Numeris latentia, innumeros qvidem, ab omni Ævo, Procos & Appetitores invenere: Neminem tamen facile invenies, qvi eadem, ſaltem fortius, attingere, nedum revelare aut detrahere potis tandem fuerit. Omnes Artes, omne Acumen, qvin omnes omnino Machinas, jam Antiqvi illi Arcanorum Scrutatores, adhibuerunt Numeris Pythagoricis, & admoverunt: Sed qvid profecerint; anxia ut plurimum, & dubia, qvin inter ſe etiam pugnantia, & ſe invicem evertentia, qvæ de iis afferunt Interpretamenta; Imo etiam, nonnullorum, neqve illorum ex Plebe, Riſus interdum, &, ex indignatione, Contemtus, indeqve, in Auctorem Convicia, ſatis, opinor, decla-

declarant. Non jam eos traducam, qvi, vel vera & propria Perſvaſione ducti, vel, ut Auctori tantum detraherent; propalarunt: Pythagoram, Naturam ipſam ex Numeris conſtituiſſe, Numerosqve hos, uti Nonnemo eos appellare ſolet, Phantaſticos, qvibus numeramus, Eſſentias & Naturas Rerum ipſas eſſe. Refutarunt hos jam dudum, cordatiores: refutavit nuper, Doctiſſimus *Burnetius*, Archæol. cap. X. Eos cogitemus, qvi Meliori Fato uſi, deprehenderunt tandem, Symbolice, Myſtice, Allegorice, Pythagoram, Numeros Sapientiæ accommodaſſe: Qvid illi, veram licet & ipſiſſimam Viam ingreſſi, invenire aut retegere inde deniqve potuerint? *Tetractys* illa decantatiſſima, qvot Ingenia exercuit, qvot Interpretes invenit? Binos ne Tu mihi ex Omnibus dabis, qvi ita in omnibus conſpirant, ut Hoc, & non Aliud, voluiſſe Pythagoram, illa ſua Tetracty, ſcire, aut ſaltem tuto credere poſſis? Rationem, cur *Mundi Medium*, Διὸς πύργον, Διὸς φυλακὴν dixerit: Cur item *Superficiem* innuens, *Colorem* vocaverit; qvi non plane ἄμυστος eſt, non nimio Labore ſubodorari fortaſſe poſſit. At vero, qvi *Qvatuor* vel *Novem* audiverit; qvotusqvisqve *Juſtitiam*, niſi edoctus antea, cogitare potuit? ſi *Septem; Occaſionem*, vel *Solem*, vel *Minervam? Qvinqve; Nuptias? Duo; Opinionem, Motum, Impoſitionem?* Si de *Intelligibilibus* ſermo eſſet; qvis unqvam, niſi Pythagoras aut Pythagoræus, *Vnitates* creparet? Si *Scientiam* aut *Scibilia* nominare velles; & *Duo* diceres? Si *Naturalia Vniverſalia*, & *Opinabilia* dicturus; *Trinitatem* in ore haberes? *Qvatuor* ſi diceres; & *Corpus* intelligeres? qvis qvæſo, niſi e Schola Pythagorica Intimæ Admiſſionis Auditor, Sermones tuos aſſeqvi, aut admittere ſaltem, poſſet? Jam, ſi Interpretes conſulas, cur hanc vel illam Rem, hoc vel illo Numero deſignaverit Pythagoras; tot diſcrepantes, de ſingulis, Opiniones & Sententias, totq;, vel ſolidiora, vel frigidiora, profecto, nonnunquam interpretamenta legas; qvot Libros Illorum evolveris. Dubitant, conjectant, hariolantur, divinant, dicunt, contradicunt, aſſerunt, rejiciunt: Hoc ibi paſſim, & promiſcue agitur. Interim Arcanus

Senſus latet: & cum Secta; utut ſcriptorum Pythagoræorum nonnulla Segmenta ſuperſunt; omnis fere Doctrinæ Pythagoricæ Veritas, interiit & extincta eſt. Infauſtus qvidem nobis, Studii hujus Pythagrici, Fructus: Qvi tamen, illo ſuo Studio, obtinuit, qvod optavit: Nimirum, ut Arcana ſua Obtecta manerent. Sed, ne Pythagoræ ſoli ita, & nude Gloriam iſtam omnem relinqvamus; monet nos *Jamblichus*: Qvi, Eum, hanc Arcanam, de Numeris, Doctrinam: Aut potius, mediantibus Numeris, Docendi Rationem, bona fide, ut cætera qvoqve Præſtantiora, ab *Orpheo* mutuaſſe, diſerte docet, in *Vita Pythagoræ*. Cujus verba mererentur, ut hic qvoqve apparerent: ſi qvidem alia nunc, qvam *Arcerii* illa Vetus & Manca adhuc dum Editio Jamblichi, ad manus eſſet. Interim, non ſoli etiam Pythagoræ, Numeri, in tradendis Diſciplinarum Arcanis, arriſere. Adhibuere illos in ſimilibus, aut ſubinde admiſcuere reliqvis, Alii qvoqve, aliarum Sectarum, deinceps Philoſophi, *Plato*, *Ariſtoteles*, *Stoici*, &c. Qvin, fuere, qvi Integrorum etiam Operum Argumentum, ex Numerorum Abyſſo, ſibi hauſere. Qvalis fuit, *Jon Chius*: cujus Τριαγμοὶ, inter Nobiliora olim Philoſophorum Scripta, non infimum ſibi Locum vindicantes, a *Clemente Alexandrino*, *Diogene Laërtio*, *Harpocratione*, & Aliis, citantur. In qvo Scripto, *Ternarii Numeri*, ſive *Arcana*, ſive circa illum *Memorabilia*, Eum comprehendiſſe; cum ex Inſcriptione, tum ex Fragmento, inferius adducendo; conſtare poteſt. Iſtos Τριαγμοὺς *Jonis*, qvam gravi, & non condonando Errore, *Svidas*, *Orpheo* adſcripſerit; & qvam depravata aliunde, hæc hodie apud Svidam legantur; nunc porro exeqvar. Interim, datum ſane hoc ſit *Honori Svidæ*, qvicqvid huc usqve de Numerorum Arcano Vſu diſſeruimus: Qvi nobis alias, non exiguo beneficio, Doctrinæ Orphicæ Titulos multos, Inſcriptionesqve Librorum, olim ſub Orphei Nomine notorum, conſignatos reliqvit. Vt vel inde præcipua nonnulla *Sapientiæ Orphicæ* Capita, nobis innoteſcere potuerint.

Svidas

Svidas igitur, ex omnibus, qvos videre & inſpicere mihi contigit, Solus, *Orpheum* Τριαγμοὺς ſcripſiſſe aſſerit, in Ὀρφεὺς Λιβήθρων τῆς ἐν Θράκῃ. Vbi, cum de Orphei hujus Lebethrii, Patria, Parentibus, Ætate, egiſſet; ſubjungit: Ἔγραψε Τριασμοὺς· λέγονται δὲ εἶναι Ἴωνος τοῦ Τραγικοῦ· ἐν δὲ τούτοις, τὰ Ἱεροπολικὰ καλούμενα; Κλίσεις Κοσμικαίνας, Νεοτευκτικά. Ita Editio *Æm. Porti.* Qvi hæc interpretatur & exponit: *Scripſit Triaſmos.* (*Wolfius* Τριαγμοὺς, i. e. *Ternarios Numeros.*) *Dicuntur autem eſſe, Jonis Tragici. In his etiam ajunt fuiſſe illa, quæ vocantur Hieroſolica, Cliſes Coſmicænas, Neoteutica.* Nec aliter Editio *Aldina:* Niſi qvod, pro Ἱεροπολικὰ legatur ibi, Ἱεροσολικά. At enim, qvam Corrupta hæc, aliunde fortaſſis, & depravata; qvam male item a *Svida* huc intruſa & infarta: ex ſeqventibus conſtabit. Et Inſcriptionem Libri ipſam, qvod attinet; Τριαγμοὺς legendum eſſe; cum apud Hunc, tum apud Clementem & Laërtium, non Τριασμοὺς, ut Hic, aut Τριγράμμους, ut Illic: jam dudum, præter Wolfium, alii qvoqve Viri Eruditi docuerunt, & ex ſeqventibus patebit. *Jon* autem *Chius*, cujus hic meminit *Svidas*, Celebris Poëta qvondam, circa Olympiadem Octogeſimam Secundam, Tragœdias docere cœpit. Filius Orthomeni, cognomento Xuthi: ut teſtatur *Ariſtophanis Enarrator*, ad Εἰρήνην. Ex qvo *Svidas* in Ἴων, omnia ſua tranſcripſit. Interpres autem Svidæ, *Portus*, Olympiade LXXII. vertit: perperam. Cum & in Scholiis memoratis, ἐπὶ τῆς ὀγδοηκοστῆς δευτέρας ὀλυμπιάδος, expreſſè legatur; nec aliud ipſe Svidas ſignet: ἐπὶ τῆς πβ΄ ὀλυμπιάδος. De hoc Jone, *Diog. Laërt.* In *Vita Pythagoræ, Lib. VIII.* Ἴων δὲ ὁ Χῖος, ἐν τοῖς Τριαγμοῖς, φησὶν αὐτὸν (Πυθαγόραν) ἔνια ποιήσαντα ἀνενεγκεῖν εἰς Ὀρφέα. Qvibus paria leguntur apud *Clementem Alexandrinum.* Strom. I. Ἴων ὁ Χῖος ἐν τοῖς Τριαγμοῖς, καὶ Πυθαγόραν εἰς Ὀρφέα ἀνενεγκεῖν τινα ἱστορεῖ. Apertiſſime autem omnium, *Harpocration*, in Ἴων. Ἴων, ait: Ἰσοκράτης ἐν τῷ περὶ τῆς Ἀντιδόσεως. Ἴωνος τῆς τραγῳδίας ποιητοῦ μνημονεύοι ἂν νῦν ὁ ῥήτωρ, ὃς ἦν Χῖος μὲν γένος, υἱὸς δὲ Ὀρθομένους, ἐπίκλησιν δὲ Ξούθου· ἔγραψε δὲ καὶ μέλη πολλά, καὶ

τραγῳδίας,

τραγῳδίας, καὶ φιλόσοφόν τι σύγγραμμα τὸν ΤΡΙΑΓΜΟΝ ἐπιγραφόμενον, ὅπερ Καλλίμαχος ἀντιλέγεσθαί φησιν, ὡς Ἐπιγένους· Ἐν ἐνίοις δὲ καὶ πληθυντικῶς ἐπιγράφεται ΤΡΙΑΓΜΟΙ, καθάπερ Δημήτριος ὁ Σκήψιος, καὶ Ἀπολλωνίδης ὁ Νικαεύς. Ex qvibus liqvido patet, non *Orpheum*, ſed *Jonem*, ſcripſiſſe Τριαγμοὺς: Vtut in iis ſcriptum reliqverit Jon, Pythagoram nonnulla Orpheo tribuiſſe. Qvare vel Oſcitantia *Svidæ*, qva ea, qvæ apud Antiqvos legerat, non ſemper bene inſpexit & dijudicavit; vel ſaltem Memoriæ Lapſus accuſandus eſt: qvod *Orpheo Lebethrio* tribuerit Scriptum, qvod omnium confeſſione, *Jonis Tragici* fuit. Qvam ἀβλεψίαν augere potuit, qvod forte legit; Alios *Epigeni*, qvi *de Orphei Poëſi* commentatus eſt; tribuere Τριαγμοὺς: Vnde facili Memoriæ Lapſu, ad ipſum Orphea Opus referre potuit. Sed, omnino lapſum fuiſſe *Svidam*, dum hæc ſcriberet; porro evincam ex Iis, qvæ ſeqvuntur: Ἐν δὲ τούτοις, pergit: τὰ ἱεροσολικά, vel ἱεροσολικά, κλίσεις κοσμικαΐνας, νεοτευκτικά. Qvid Ἱεροσολικά aut Ἱεροσολικά, ſint: Qvid item Κλίσεις Κοσμικάϊναι ſibi velint; nec Ipſe unqvam divinare, nec ab Aliis doceri potui: Nec forte qvisqvam docere aut explicare poterit. Igitur depravata hæc apud Svidam eſſe, nullus dubito. Ἱεροσκόλια, melius legi, facile concedent, qvi Scoliorum antiqvorum Vſum & Rationem, ex Athenæo, aut aliunde, didicerunt. Erant nempe *Scolia*, Carmina, qvæ in Conviviis, poſt Epulas appoſitas, vel ſimul, ab omnibus convivis; vel ordine ad alios ſubſeqvente; vel σκολιῶς ita, a ſapientioribus præſentibus, ſine ordine, & non ſervata convivarum ſerie, decantabantur. De qvibus, inter alia, lectu digniſſima, *Athenæus* Lib. XV. Σκολιὸν ᾔδετο, ὁπότε τὰ κοινὰ καὶ πᾶσιν ἀναγκαῖα τέλος λάβοιεν. ταῦτα γὰρ ἤδη τῶν σοφῶν ἕκαστον ᾠδὴν ἵνα καλὴν εἰς μέσον ἠξίουν προσφέρειν. καλὴν δὲ ταύτην ἐνόμιζον, τὴν παραίνεσίν τινα καὶ γνώμην ἔχειν δοκοῦσαν χρησίμην τε εἰς τὸν βίον. Hujusmodi autem Scoliorum Poëtæ, imprimis celebrantur, Alcæus, Anacreon, Praxilla Sicyonia: Et inter Primos, *Jon* hic *Chius*. Qvi, cum *Hymnos*, *Pæanas*, & varia μέλη, teſte *Ariſtophanis Scholiaſte*, ſcripſiſſet;

set; Ἱεροσκόλια, seu, *Scolia ad Epulas Sacras;* post Sacrificia celebrari solitas, qvoqve reliqvit. Itaqve apud *Svidam*, pro Ἱεροσολικὰ, aut Ἱεροπολικὰ; legendum esse Ἱεροσκόλια, nemo imposterum ambiget. Qvid autem κλίσεις Κοσμικάριαι? Verba sine Sensu. Κτίσιν Κόσμου, & Κοσμολογικὸν, Eundem *Jonem Chium* scripsisse, rursus testatur idem *Enarrator Comici*. Cum igitur *Svidas* scripsisset, κτίσιν κόσμου καὶ νεοτευκτικά; nihil facilius ab imperito aut non attendente Descriptore exarari potuit; qvam, κτίσιν κόσμου καὶ νεοτευκτικά. Ex qvo deinceps, Criticorum opera, emanavit, κτίσεις κοσμικάριαι, νεοτευκτικὰ, cum forte ultima Diphthongus in κόσμου, paululum evanuisset, & prior Syllaba in νεοτευκτικὰ, perperam a Librario repetita, non otiosa prorsus reputaretur: Et, ut deniqve Συντάξεως deinceps Ratio sibi constaret, κτίσιν, qvoqve in κτίσεις, & porro, Librariorum culpa, in κλίσεις commutatum appareret. Sed ab hac postrema Culpa, *Svidas* omnino excusandus videtur, & omnia illa in Librarios rejicienda. Non tamen excusandus, qvod, dum de *Orpheo* scribere suscepisset; *Jonem Chium* in animo habuerit; & Hujus Scripta, Illi tribuerit. Qvid enim Ἱεροσκόλια, qvid item, Κτίσις Κόσμου, in Τριαγμοῖς? qvid item Τριαγμοὶ, ad *Orpheum*; qvos nemo ei unqvam tribuit? Cum præsertim omnia, qvæcunqve olim ad *Orpheum* referebantur; Carmine conscripta essent, & qvidem Heroico? Τριαγμῶν autem Initium, qvod *Harpocration* nobis servavit, plane aliud testetur. Erat autem hoc: Ἀρχὴ δέ μοι τοῦ λόγου πάντα τρία, καὶ πλέον τῶνδε, πλέον ἐλασσων τούτων τριῶν ἑνὸς, ἑκάστου ἀρετὴ τριὰς, Σύνεσις, καὶ Κράτος, καὶ Τύχη. Sed eum toties ad *Aristophanis Scholiasten* hucusqve provocatum sit, operæ pretium erit, ejus Verba integra heic cognoscere. Ἴων ὁ Χῖος Διθυράμβων καὶ τραγῳδίας καὶ μελῶν ποιητής· ἐποίησε ᾠδὴν, ἧς ἡ ἀρχὴ, ἀοῖον ἀεροφοίταν ἀστέρα μείναμεν ἀελίου λευκῇ πτέρυγι πρόδρομον. Φαίνεται δὲ τετελευτηκὼς ἐκ τούτων. παίζων οὖν ὁ ἀριστοφάνης, ἀοῖον αὐτόν φησιν ἀστέρα κληθῆναι. Περιβόητος δὲ ἐγένετο. ἔγραψε δὲ καὶ κωμῳδίας, καὶ ἐπιγράμματα, καὶ παιᾶνας, καὶ ὕμνους, καὶ σκόλια. καὶ ἐλεγεία. καὶ καταλογάδην τὸν Πρεσβευτικὸν λεγόμενον, (forte idem

idem Opus cum Τριαγμοῖς) ὃν νόθον ἀξιοῦσί τινες εἶναι, οὐχὶ αὐτοῦ. Φαίνεται δὲ αὐτοῦ καὶ Κτίσις, καὶ Κοσμολογικὸς, καὶ ὑπομνήματα, καὶ ἄλλα τινά. καὶ πάνυ δόκιμος ἦν. Φασὶ δὲ αὐτὸν ὁμοῦ διθύραμβον καὶ τραγῳδίαν ἀγωνισάμενον ἀθήνησι, καὶ νικήσαντα, ἑκάστῳ τῶν Ἀθηναίων δοῦναι Χῖον κεράμιον. υἱὸς δὲ ἦν Ὀρθομένους, ἐπίκλησιν δὲ Ξούθου. (vid. Paul. Leopardi, Lib. II. c. 20. Emendat.) ἤρξατο δὲ τὰς τραγῳδίας διδάσκειν ἐπὶ τῆς ὀγδοηκοστῆς δευτέρας ὀλυμπιάδος. Δράματα δὲ αὐτοῦ δώδεκα, οἱ δὲ τριάκοντα, ἄλλοι δὲ τεσσαράκοντά φασιν. Confer Svidam, in Διθυραμβοδιδάσκαλοι, & in Ἴων; deprehendes Specimen, qva Diligentia & qvo Judicio, in comportando ſuo Lexico, uſus ſit. Qvo modo item, ex hoc Scholiaſte, emendanda ſit hodierna Svidæ Lectio.

FINIS.

INDEX

INDEX AVCTORVM.

E Qvibus Doctrina Orphica eruta.

Abaris. 112
Achilles Tatius. *Isagog. in Arati Phænomena. Cap. VI.* 113. 114
Ælianus. *Histor. Animal. Lib. IX. cap. LI.* 20
Antimachus. 111
Apollonii Rhodii Scholiastes. 45. 102. 105
Apulejus. 68. 74
Archelaus. 182
Arignote. 44
Aristæas. 111
Aristides. *Eleusinia.* 19
Aristobulus. 138. 148
Aristophanis Scholiastes ad Εἰρήνην. 197. 199. 200
Aristoteles. *Libro de Mundo.* 68. *Lib. I. Oeconom.* 108
Arnobius. 22. 47
Arrianus. *in Epictetum. Lib. III. cap. XXI.* 18
Athenagoras. Πρεσβ. περὶ χριστιανῶν. 93. 97. 98. 100. 101. 103. 133
Athenæus. *Dipnosoph. Lib. XV.* 198
Barnesius. 153
Boëthius. 190
Brontinus. 45. 51
Burnetius. (Thomas) *Theoria Telluris Sacra, & Archæolog.* 112. 113. 195
Camerarius. (Joachim. Joach. Fil.) 176
Cedrenus. 87
Cercops Pythagoræus. 138. 187
Chrysippus. 9
Cicero. *Lib. II. de Legibus.* 12. 19
Clemens Alexandrinus. 67. 138. 187. 197
Stromat. I. 197. *V.* 5. 7. 69. 73. 78. 107. 108
135. *VI.* 32. 106. 107. 109
Admonitione ad Gentes. 23. 31. 35. 36
Codex MStus Procli, *in Timæum Platonis*, e Bibliotheca Augustana. 72. 73

Cyrillus. *Lib. I. contra Julianum.* 144
Diodorus Siculus, *Lib. I.* 39. 135. 187. *Lib. VI.* 45
Diogenes Laërtius. 139. 182. 197
Empedocles. 113
Epigenes. περὶ τῆς Ὀρφέως Ποιήσεως. 7. 138. 187
Epimenides. 111
Etymologici Magni Auctor. 9. 153
Eugamnon. 111
Euripides. 17. 128
Euſebius. *Præparat. Evangel. Lib. III.* 69. 73. *Lib. XIII.* 140
Euſtathius. *Commentar. in Dionyſii Periegeſin.* 60. 61
Ficinus. (Marſilius.) *Argumento in Cratylum Platonis.* 131
ad Plotini Lib. IX. 185. Lib. IV. Ennead. IV. c. XXXVIII. 186
Franciſcus Patricius. *Diſcuſſioni Peripatetic. Tom. III. Lib. V.* 61. 80. 112
Galenus. Lib. II. περὶ Ἀντιδότων. 182
Harpocration. 198. 199
Heinſius. (Daniel.) 23. ſeqq.
Herodicus Perinthius. 187
Herodoctus. Lib. II. 186
Heſiodus. 111
Heſychius. 16
Homerus. 39. 50. 134
Jamblichus. *Vita Pythagoræ.* 131. 138. 153. 177. 196
Johannes Diaconus. *Allegor. ad Heſiodum.* 65. 68. 75. 76. 103
Ion. Chius. 138
Julianus. *Oratione V.* 46
Juſtinus Martyr. 138. *Cohortat. ad Gentes.* 40. 133. 136. 144
Apologia II. pro Chriſtianis. 133. 136. 144
Lactantius. *Lib. I. de Falſa Religione.* 101. 106
Leopardus. (Paulus) *Emendat. Lib. II. cap. XX.* 200
Linus. 111. 182
Lucianus. *Dialogo de Aſtronomia.* 159
Macrobius. *Somn. Scipionis. Lib. I. Cap. X.* 13. 22. *Cap. XI.* 34
Saturnal. Lib. I. Cap. VIII. 37. *Cap. XVII.* 40. *Cap. XVIII.* 40. 42. *Cap. XXIII.* 43. *Lib. V. Cap. XIX.* 67. *Lib. VII. Cap. XVI.* 114.

Mani-

Manilius. 165
Marsilius Ficinus. *vid.* Ficinus.
Mercurius Trismegistus. 67
Meursius. 13.16.44
Minutius Felix. 11.47
Musæus. 111
Nicias Eleates. 44
Ocellus Lucanus. 111
Onomacritus. 9.129
Orpheus. 7.32.49.50.53.60.96.103
Ovidius. *Metamorph. Lib. IV.* 53
Patricius. (Francisc.) *Discussion. Peripatetic. Tom. III. Lib. V.* 62. 80.112
Perginus Milesius. 123
Pherecydes. 53.111
Philostratus. Vita Apollonii. 187
Pindarus. 38
Plato. 67.161
Alcibiade. 131
Charmide. 131
Cratylo. 102.131.146.188
Phædone. 19.34
Philebo. 106
Timæo. 15.96.152
De Republica. Lib. II. 191
de Legibus. Lib. II. 109. *Lib. III.* 186. *Lib. VI.* 186
Plinius. *Histor. Natur. Lib. XX. cap. V. Lib. XXV. cap. II. Lib. XXVIII. cap. IV.* 182.186
Plutarchus. 129.186
Περὶ τῶν ἐν Πλαταιαῖς Δαιδάλων. 11
De Oraculorum Defectu. 73.128.129
De EI. Templo Delphico inscripto. 106
De Placitis Philosophorum. Lib. II. 113
Symposiac. Lib. II. 113.114. *Lib. VIII.* 109
Apophthegm. Lacon. 186
Plotinus. 120
Porphyrius. 69

ad Antrum Nympharum. 47. 67. 80
Περὶ Ἀποχῆς, *Lib. II.* 117. 118. 186
Portus. (Æmylius.) 41. 197
Probus Grammaticus. *ad Eclogam VI. Virgilii.* 113
Proclus. 98. 120. 139
in Timæum Platonis, Lib. I. 50. 54. 59. 69. 74. 99. 103. 106. 132. 151. *Lib. II.* 58. 60. 73. 74. 76. 77. 78. 79. 81. 101. 106. *Lib. III.* 53. 74. 102. 160. *Lib. IV.* 58. 66. 78. 98. 101. 106. *Lib. V.* 17. 39. 57. 58. 100. 102. 103. 104. 105.
in Parmenidem Platonis. Lib. II. 58. 59. *Lib. IV.* 78. *Lib. VII.* 78
Theologiæ Platonicæ. Lib. I. 118
Prodicus Samius. 187
Reineſius. 182
Scaliger. (Joſeph.) 165. 166
Sextus Philoſophus. 109
Simplicius. φυσικῶν Ἀκροαμ. *Lib. IV.* 46
Stephanus, (Henr.) 145. 167
Steuchus. (Auguſtin.) 71. 73. 112
Strabo. *Lib. VI.* 45
Stobæus. 113. *Sermon. LXXVII.* 110. CXIX. 15
Eclog. Phyſic. 99
Svidas, *voce* Ὀρφεύς. 9. 38. 44. 45. 67. 123. 129. 134. 137. 153. 159. Notatus. 197. Correctus. 197. ſeqq.
Sylburgius. 74
Thales Mileſius. 111
Themiſtius. 15
Theodoretus. *Therapeut. I.* 51
Theognetus Theſſalus. 138
Timæus Locrus. 62. 152
Timocles Syracuſanus. 125
Timotheus Chronographus. 65. 87. ſeqq. 97. 108
Tzetzes. *Commentar. ad Lycophron.* 153. 165. 166
— *Hiſtor. Chiliad. XII.* 166
— *Schol. ad Heſiodum.* 171. 172. 173. 174.
Varro. 113
Wolfius. (Hieron.) 197
Zopyrus Heracleota. 51. 67
Zoroaſter. 67. 185

INDEX

INDEX
Rerum & Verborum.

A.

de Abrahamo, Arabum Traditio. 156
Abundantia, Vitiorum mater. 171
Acqvirendi modus varius. 169
— — — innocentissimus, per Agriculturam. 169
— — — in universum triplex. 169
Acquirendi modum per Vim, Bello accommodarunt Veteres. 169
& Heroibus relinqvebant. ibid.
— — — per Fraudem, Mercaturæ. ibid.
— — — per Justitiam, Agriculturæ. ibid.
Ἀίδης. Inferorum Rex. 41
— Ejus Regio. 41
— Ejus Etymologia ex Mente Platonis. 188
— Firmissimo vinculo, Amatorio, Animas in suo regno detinet. 189
